DE

PRAEPOSITIONUM AB DE EX USU VARRONIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

A PHILOSOPHORUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO RÖSSNER

SAXO-BORUSSUS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS

MDCCCLXXXVIII.

ALEXANDRO WEISKE

SACRUM.

M. Terentius Varro cum id maxime ageret, ut summo doctrinae studio imbutus omnia scientia sua complecteretur, fieri non potuit, quin dum in rebus cognitione dignis et indagandis et describendis totum se ponit, multo minorem orationis concinnitati et elegantiae operam navaret, modo ne ulla inesset verborum obscuritas. Accessit, quod, ut recte ait A. Muellerus (de prisc. verb. form. Varr. diss. Hal. 1877), „quo erat amore antiquitatis, ei contigit, ut dicendi genus magis ad veterum poetarum rationes accommodaret, ita tamen, ut sermonis usitati emendationes a Caesare, Cicerone, Catullo institutas prorsus non contemneret.“ Quo factum est, ut etsi cotidianum eruditorum illius aetatis hominum sermonem sequebatur, multas tamen elocutiones et constructiones ex antiquo sermone et ex vulgari, qui quidem saepissime idem fuit, assumeret. Quamquam concedendum est in duobus quae restant scriptis Varronianis quandam dicendi generis differentiam apparere. In rerum enim rusticarum libris ii, qui disputant, familiariter, dissolute, neglegenter inter se colloquentes inducuntur, iidem agri culturae studiosissimi finguntur, denique hac occasione oblata rustica vita antiqua ac simplex urbanae ut corruptae, quin etiam veteres voces novis opponuntur. Quid igitur mirum, quod in his libris colloquendi ratio ad sermonem cotidianum, vulgarem, rusticum quam maxime accommodata est? Contra in libris de lingua latina res ipsa ferebat, ut Varro virorum doctorum dicendi genere magis uteretur; quamquam plura certe insunt, in quibus illi cum rer. rust. libris consentiunt quam quibus ab iis differunt. Sed id quidem satis omnino constat Varronianum sermonem magna proprietate esse insignem, maxime vero a sermone Ciceroniano diversum. Ex quo cum cognoscatur quaestiones de Varronis dicendi genere satis multum et utilitatis et iucunditatis habere cumque novis

Henrici Keilii et Leonardi Spengelii editionibus textu ad fidem manuscriptorum librorum accurate constituto certa huiusmodi quaestionum fundamenta posita sint, haud ab re arbitrabar esse ad Varronis scripta accedere. Elegi autem praepositiones „ab, de, ex" in iisque qui esset usus Varronianus ostendere studui comparato, ubi opus erat, cum aliorum, tum Ciceronis usu.

Restat, ut de ratione huius opusculi dicam. Primum igitur omnes fere ex r. r. et de l. l. libris composui locos, quibus eae praepositiones inveniuntur; fragmenta ceterorum Varronis scriptorum quamquam non neglexi, tamen ea maxime exempla exscripsi, quae aut per se memorabilia sunt aut ad usum praepositionum apud Varronem accuratius cognoscendum aliquantum valent. Usus autem sum his maxime libris:

Scriptores rei rust. ed. M. Gesner. Lips. 1773.

Scriptores rei rust. ed. J. G. Schneider. Lips. 1793.

M. T. Varronis r. r. libri tres ed. H. Keil. vol. I. Lips. 1884.

M. T. Varronis de l. l. librorum quae supersunt, ed. C. O. Mueller. Lips. 1833.

M. T. Varronis de l. l. libri, ed. L. Spengel. (ed. et recogn. A. Spengel.) Berol. 1885.

A. Riese, Varronis sat. Menipp. (S. M.) usque ad pag. 246; logistor. p. 247 sqq. (Logist.); epistulae p. 259 sqq.

R. Merkel, antiqu. rer. div. [in edit. Ovid. fast. p. 106 sqq.] (a. r. d.).

A. Wilmanns, de M. Ter. Varronis libris grammaticis pag. 142 sqq.

H. Kettner, de vita pop. Rom. quae exstant, diss. Hal. 1863 (v. p. R.); idem, de gente pop. Rom. (in libro qui inscribitur: Varronische Studien, Halle 1865 p. 63 sqq.).

D. Detlefsen, libri de ora marit. (d. o. m.) Hermes vol. XXI p. 240 sqq.

Sententiarum Varroni adscriptarum rationem non habui, cum, quae Varronianae sint, intellegi non posse Ritschelius (op. III p. 522) et Riesius (ed. sat. Men. praef. p. X) docuerint. — Cetera denique fragmenta non ita collecta et composita sunt, ut in huiusmodi quaestionibus grammaticis respici possint.

Denique in singulis praepositionibus primum de locali, deinde de temporali, postremo de translata notione disserui.

A. Prima pars.

De praepositione „ab“.

Caput I.

„Ab“ notione locali positum.

§ 1. A vulgari usu „ab“ praep. non recedit, cum ex his verbis motum simpliciter significantibus pendet: *movere* l. l. X, 70; *ferre* V, 43; *transferre* VII. 103. — *ire* l. l. V, 47: a foro eunti; *redire* VI, 8. — *confluere* X, 50; *profluere* VIII, 62: ab hoc fonte quae profluunt. — *proficisci* r. r. I 44, 4; l. l. VI, 10: luna ab sole profecta.| X, 52. 54. 56. 62. — *venire* r. r. II 8, 1; III 7, 1; l. l. V, 9; VI, 68; IX, 25; *pervenire* IX, 86; X, 55; V, 13: non cum de locis dicam, si ab agro ad agrosium hominem, ad agricolam pervenero, aberraro. [Hoc loco praepositionis usus qui sit, etsi manifestum est, tamen de corrupta codicis Flor. scriptura „agrosium“ pauca addam: Atque ut omittam Pomponii Laeti, principis editoris, lectionem *agrosum*, Lachmannus (mus. rhen. n. s. II p. 36) „ad agros tum“ proposuit, quae quidem coniectura a L. Spengelio (Abh. d. bair. Ak. d. W. VII, 2 p. 466) recte refutata est. Hic vir doctus ipse aut „*agrarium*“ aut — voce „agrosium“ deleta — „ad hominem, ad agricolam“ scribendum esse censuit. Sed haec ratio, ut vox corrupta deleatur, tum demum probanda est, si nulla probabilis emendatio invenitur; „agrarium“ autem, si scriptum fuisset, certe non intellegeretur, cur verba „ad agricolam“ addita essent. Hoc idem opponendum est L. Stünkelio (de Varr. verb. form., diss. Argent. p. 50) „agrestem“ coicienti, quam scripturam A. Spengelius recepit. Equidem verba sic restituenda esse puto: „ad Agrasium hominem, ad agricolam“. Invenitur enim nomen proprium „Agrasius“ compluribus r. r. librorum locis (ut I 2, 1; 2, 25; 3, 1; 23, 1) neque dubitari potest, quin sit nomen non fictum, sed verum, perinde atque cetera nomina in illis dialogis a Varrone adhibita (cf. Schleicher, melet. Varr. spec. I, Bonn. 1846 p. IV); significat autem hominem agriculturae studiosum. Facile igitur suspicari possumus Varronem hanc vocem gentiliciam per iocum — et est totius paragraphi 13 sermo iocosus — usurpavisse statimque verbis „ad agricolam“ explicavisse. Vix enim futurum

fuisse arbitror, ut haec verba adicerentur, nisi antea scriptum esset aliquid, quod interpretatione indigeret. Coniunctio autem verborum „Agrasius homo" propterea non offendit, quod Varro hoc loco inanima et animantes — agros et homines — inter se opponit. Denique fortasse voces explicativae „id est" in Varroniano sermone usitatissimae (tricies ter legi) ante verbum „*ad*" addendae sunt.] — *manare* l. l. VI, 4. — *conducere* VII, 70: praefica dicta, ab luco quae conduceret, quae canerent.

Praepositionibus „ab — ad" totum spatium comprehenditur, per quod motus dirigitur, ut r. r. III 5, 9: flumen directum ab insula ad museum; ibid. 5, 17: radius a cardine ad orbem movetur; l. l. V, 47: caput sacrae viae, ab Strenuae sacello quae pertinet in arcem. — Nonnullis locis non additur verbum movendi ut r. r. III 5, 10: ab hac (sc. ambulatione) est in agrum versus ornithonis locus; ibid. 11: a summa maceria ad epistylum tecta porticus est rete cannabina.

Particula „usque" ceteris locis (cf. § 13 b) ad continuatam directionem magis exprimendam praepositioni „ad" adiuncta satis singulariter (cf. Hand Tursell. I p. 13 fin.) cum „ab" praep. coniungitur sequente tamen praepositione „ad": l. l. IX, 81: usque ab asse ad centussis; ibid. 82: usque a quattuor ad centum. Cf. Cic. Cluent. 68, 192: usque a mari supero Romam proficisci.

S. M. p. 211, 10 „domum ab Ilio venero" urbis nomini additum est „ab" propterea, quod locus, unde motus exit, sic praecipue significatur. Similia, quamvis raro, inveniuntur apud Ciceronem eiusque aequales (cf. Kühner, Ausführl. Gramm. der lat. Spr. II, 1 p. 349 A 3); cf. Cic. Verr. II, 2, 40, 99: a Vibone Veliam venissem. De loco r. r. III 1, 6 (a Roma) et III 2, 14 (longe a Reate) cf. §§ 4 et 9.

§ 2. „Ab" motum deorsum directum indicans cum verbo „descendere" iungitur l. l. V, 75: a summa parte ad infimam descendam; r. r. II 1, 5: a vita pastorali ad agriculturam descenderunt. Item „descendere ab — ad" II 1, 3 („descendere *de*" r. r. I 54, 1; 69, 3 cf. infra § 23).

§ 3. Verba abeundi, quibus „ab" additum legitur, haec sunt: *abire* l. l. VI, 48. — *erumpere* S. M. p. 162 V. — *disce-*

dere r. r. I 16, 4: familia ab opere discedat. Item II 10, 9; l. l. V, 119; IX, 71; *discedere ab — ad* VIII, 31; IX, 25 (discedere de r. r. I 16, 4 vide infra § 22 c; discedere cum ablat. S. M. p. 168, XI).

l. l. VI, 44: amens (sc. dicitur), qui a mente sua descendit. Pro hac codicis Flor. scriptura sine dubio corrupta „*descendit*" scripsit Laetus „*discedit*", quod omnibus probatum est praeter L. Spengelium „*de*cedit" legentem. Sed illa superior lectio propterea praeferenda est, quod *discedere* saepissime, *decedere* apud Varronem nunquam invenitur. Cf. Cic. de divin. II, 35: *a mente* atque a se *discedere.*

r. r. II 9, 10: (canes) eo consueti cibo uti a pecore non cito descunt. Sic B et P; A: desciunt. Nic. Angelius „desciscunt" coniecit, quod omnes deinde editores iure in textum receperunt; nam etsi cogitare possumus etiam de verbo „discedunt", tamen „desciscunt" ad scripturam codicum propius accedit.

§ 4. Verba *removendi* cum „ab" praep. coniuncta haec leguntur: *abducere* r. r. II 9, 8 (abducere de S. M. p. 95 II cf. § 22 c). — *ablegare* r. r. I, 47. — *deiungere* II 6, 4; *diiungere* I 2, 21; 3; 23, 4; II 1, 20; 9, 12. — *demere* II 7, 9: cum dempsisset ab oculis. Solet hoc verbum de praep. sibi adsciscere, apud Varronem quidem r. r. II 1, 26; l. l. V, 94 (cf. infra § 22a); demere cum abl. legitur l. l. VI, 13, cum dat. (i. e. eripere) r. r. II 1, 17; l. l. V, 98; S. M. p. 103, II. — *depellere* r. r. II 2, 17; 4, 16. — *discludere* r. r. III 7, 6; l. l. V, 43. — *dividere* l. l. X, 4: quae eos dividunt ab reliquorum specie; l. l. X, 19 in codice Flor. legitur: hanc partem ab illa abdividendum. Pro falsa lectione „abdividendum" scripsit Laetus „dividendum" magisque persuadet quam L. Spengelius, qui an *abiungendum* genuinum sit, haesitat; nullo enim loco in iis, quae supersunt, scriptis hoc verbum a Varrone usurpatum esse pro certo affirmare possum. — *eicere* r. r. III 16, 8: ab se eiciunt fucos. — *exigere* II 3, 8 (tauros a grege in campos). — *praecidere* I 40, 6 (I 40, 4: praec. de, cf. § 22 c). — *removere* r. r. I 2, 21; 8, 6; II 6, 4; 7, 12; l. l. IX, 94. — *secernere* r. r. I 1, 11; II 1, 18; 2, 8; 4, 20; 5, 12, III 16, 19. — *solvere* l. l. V, 137: (spinas) ab terra solvunt. (Contra participium *solutus* cum abl.

construitur r. r. II, 10, 5); *dissolvere* l. l. V, 79. — *tollere* r. r. III 9, 13 (tollere de S. M. p. 202 VII, cf. § 22 c). — *apage ab* S. M. p. 134, 44 „apage a domo nostra insanitatem" legimus, praeterea apud Plautum solum, velut Most. II, 2, 6; Bacch. III, 1, 5. Ceterum „ab" voci *domus* additum Kühnero teste (l. l. II, 1, 353 a) saepius invenitur, hoc quidem loco certe ideo, ut discessus maiore vi indicetur. Ceteris locis omnibus ablativus positus est, ut r. r. I, 8, 2; S. M. p. 134, 4; 143, 1; v. p. R. I frg. 19. — Eodem refero r. r. III, 16, 17: „debet a spurcitiis purgare alvum". Inest enim in verbo purgandi notio removendi Praeterea haec paullo rarior constructio exstat: Cat. de agr. 65, 1; ibid. 151, 4; Plin. h. n. 19, 3.

Proxime accedit adiectivum *liber*: l. l. V, 46: qui a suspicione liberi essent; v. p. R. II, 11: erant a publicis negotiis liberi. — Hinc defenditur r. r. II 4, 5: „quidam adiciunt (scil. in emptione) perfunctas esse (sues) a febri et a foria". Nullum praeterea huius structurae exemplum invenitur, qua re factum videtur esse, ut praepositiones ab antiquissimis editoribus omitterentur; sed certe „perfunctum esse ab" hoc loco nihil aliud est nisi „liberum esse ab". Ceterum haud scio an hoc dicendi genus non ipsi Varroni tribuendum, sed ex vetere emptionis formula receptum sit.

§ 5. De verbis distantiae.

„*Abesse*" semper „ab" praepositioni iungitur: r. r. I 16, 4; II 2, 9; 11, 2; III 8; l. l. V, 38; IX, 24. (Abesse c. dat. [i. e. deesse] r. r. II 2, 5 legitur, ut Cic. de or. II 70, 181; Liv. 25, 16; Hor. od. III 24, 64.)

Eodem pertinet *longe ab* r. r. I 2, 17; II 3, 7; III 16, 22; l. l. VI, 24. — Per se pono r. r. III 1, 6: „non longe a Reate"; est enim hoc loco, ut omnino in litteris latinis (cf. Kühner II, 1 p. 349 a, 3), adverbio *longe* „ab" praepositio addita etiam ante urbis nomen.

§ 6. De verbis differentiae.

differre l. l. VIII, 80: nomina differunt a vocabulis. — *discriminare* l. l. IX, 57. — *discernere* l. l. V, 33; VII, 91. — Sic item, ut apud Ciceronem, dicitur *diversus ab* r. r. I 2, 21: res diversae ab agro; ibid. 2, 28.

Similiter etiam *mutare* cum „ab“ praep. coniunctum est, quod verbo vis differentiae subest, r. r. II 11, 12: „Illi hoc (scil. dixerunt) neque ab hoc quod mutaret Cossinius“. Bis tantum haec constructio praeterea inveniri videtur: Verg. Aen. II, 274 (quantum mutatus ab illo); Gell. n. A. II, 23, 7; cf. etiam „mutatio ab“ Quint. inst. IX 1, 11.

§ 7. Verba arcendi cum „ab“ praep. componuntur haec: *arcere* l. l. V, 128: fures arcebantur ab ea (sc. arca). — *abstinere* r. r. II 5, 4 (ab hoc manus). — *deterrere* r. r. II 2, 14 (ab saliendo). — *prohibere* l. l. V, 151: „is locus munitissimus urbis, a quo facillime possit hostis prohiberi“. Contra r. r. III 9, 13: „aqua prohibendum“. Itaque cum Varro item atque Cicero (cf. Kühner II, 1 p. 273) cum verbo „prohibere“ et „ab“ praepositionem et ablativum iungat, non est, cur offendamus in scriptura librorum r. r. II 7, 10 („algor praegnatibus obest. Itaque in stabulis et humore prohibere oportet humum“), ubi Iucundus, quem plerique editores secuti sunt, pro „et humore“ scripsit „ab humore“. Id solum dubium videtur esse, utrum „et“, ut interdum (cf. r. r. II 1, 24; III 16, 22; l. l. VI, 74; aliis locis) apud Varronem fit, pro „etiam“ positum neglegenter additum sit an ut multae huiusmodi voculae (cf. Keil, ind. lect. Hal. aest. 1883 p. VI) nescio quo errore in textum irrepserit.

Ut complectar, quae disserui in paragraphis inde a tertia usque ad septimam, ex exemplis, quae adscripsi, apparet verba et adiectiva, in quibus est discedendi vel removendi vel distantiae notio, plerumque cum praep. „ab“, nunquam cum *ex*, raro cum de, rarius etiam cum ablativo componi. Cum ablativo solo coniunguntur *levare* (r. r. II 6, 4; S. M. p. 195, 4; ibid. p. 235, 3) et *desistere* (r. r, III 16, 35). Itaque in hoc usu consuetudo Varronis a Ciceroniana aliqua ex parte recedit. Apud Ciceronem enim (cf. Kühner II, 1 p. 272 sqq.) ex multis huiusmodi verbis sine ullo significationis discrimine modo praepp. ab, de, ex, modo ablativum pendere constat.

§ 8. De verbis defendendi.

defendere r. r. I 37, 5; (prata) defendantur a pastione; II 10, 3: a bestiis pecus defendere. — *vindicare* I 13, 4: stercus fronde vindicatum a sole. — *tutus* I 12, 4: „ab hac utraque (sc.

nimbis et praedonibus) superiora loca tutiora". Sic *PAB*; Merula, quem omnes praeter Keilium editores sequuntur, „ab hoc utroque" in textum recepit. Sed verisimilior est Keilii emendatio „ab hac utraque *re*" scribentis: vocula enim *re* post *que* facile potuit excidere (cf. III 17, 6, ubi item *re* post *utraque* in cod. Flor. f omissum est); substantivo autem „res" et homines et res in unum posse comprehendi patet e loco r. r. I 17, 1: „quas res alii dividunt in duas partes, in homines et adminicula hominum".

§ 9. De praep. „ab" regionem indicante.

a) Praepositione „ab" significatur locus, a quo quid oritur, in his exemplis: r. r. II 7, 10: „inter singulas (sc. equas) a praesepibus intericere longorios"; l. l. X, 28: „utrumque a transitu suam sequitur viam"; S. M. p. 227, 23: „sabulum iacere a pariete"; r. r. III 2, 4: „(fundus) est ad quartum vicesimum lapide a Roma" (i. e. si a Roma numeramus). De praepositione „ab" cum nomine urbis coniuncta vide Kühner II, 1 p. 349 A 3. — l. l. X, 46: „est septumus a primo"; r. r. I 24, 4: „oculos harundinis pedes ternos alium ab alio seri" (i. e. alius ab alio pedes ternos distat).

Huc referenda sunt: „dexter ab", „proximus ab", „altus (altitudo) ab". S. M. p. 191, 1: „a primo compito dextimam viam munit Epicurus"; l. l. V, 29: „proximum oppidum ab eo (Volturno) Volturnum"; V, 158: „clivus proximus a Flora. (Cf. item Cic. or. 64; Liv. 37, 25; Ov. a. am. I, 139). Contra „proximus" r. r. III 16, 31 et neutrum „proximum" loco adverbii „proxime" positum r. r. I 13, 2 cum accusativo iunguntur (cf. Kühner II, 1 p. 233); genetivum (proximi eorum) inveni r. r. II 7, 2; denique l. l. VI, 2 scribitur: „ad nos versum proximus". — *altus ab* r. r. III 5, 14: „lapis a falere pedem alta"; ibid.: „falere a stagno altum duo pedes"; II 4, 14: „haram facere ea altitudine abs terra".

Hinc etiam oritur locutio *ab radicibns* r. r. II 8, 1: „hinni bigeneri atque insiticii non suopte (sic Merula; suo ope codices) genere ab radicibus".

Denique hic affero r. r. I 10, 2: „ab hoc principio memores nonnumquam dicunt cett."; „ab hoc principio" est breviata locutio pro: ab hoc principio profecti.

b) Ad augendam „ab“ praepositionis vim ei adiectum est *versum* l. l. V, 148 (a Concordia versum) et IX, 24 (a bruma versum). Omnino „ab — versum“ rarissime invenitur (cf. Kühner II, 1 p. 391).

c) „Ab“ regionem caeli indicat: r. r. I 57, 1: „granaria perflentur ab exortu“; ibid. 24, 3: „arbores ponuntur a septentrionali parte“; l. l. VII, 7: „templi partes IV dicuntur, sinistra ab oriente, dextra ab occasu“; *d. o. m.* fr. 13: „ab oriente, a meridie, a septentrione“. Satis singularis est haec praepositionis ratio r. r. I 7, 2: „quae suo quicque loco sunt posita, ea minus loci occupant et minus officit aliud alii ab sole ac luna et vento“. Apte comparari possunt: Plin. h. n. 33, 8, 43: „quod a sole fuit“; Cat. agr. 34, 2: „loca aperta ab umbra“.

d) Eodem accedunt haec exempla: r. r. I 57, 3: „granaria, quae non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus regulare possit“; I 13, 5: „nubilarium ex una parte apertum et id ab area“. (Quod primum „ex“, deinde „ab“ ponitur, propter usum quendam praepositionis „ex“, de quo infra (§ 36) dicetur, offensionem non habet). III 17, 10: „strepitus ab dextra“ (sc. fit). (Contra l. l. V, 155 „*sub dextra*“ et semper „*dextra et sinistra*“ praepositione non addita legitur: r. r. I 47. II 9, 3; III 5, 10; 5, 11; 5, 12; 16, 16; l. l. VII, 23). l. l. V, 79: „principes, qui a principio gladiis“ (sc. pugnabant); VII, 43: „ea arma ab utraque parte incisa (solet cum voce „pars“ semper fere „ex“ praep. apud Varronem componi, cf. § 36).

e) Idem praepositionis usus deprehenditur in indicandis corporis partibus, ut r. r. II 9, 4: „a feminibus summis corpore suppresso“. — II 5, 8 praebent codices non multum inter se dissentientes: „collo corpore apolea demisso bene costato“. Haec verba multis vitiis adfecta Keilius optime emendavit, cum Columellae loco VIII 2, 9, ni fallor, nixus scribendum esse censuit: „a collo palea demissa corpore bene costato“.

f) Huc pertinere puto etiam l. l. X, 42: „ab Aristarcho grammatici“ (i. e. qui sunt a parte Aristarchi, ab Ar.).

g) Denique hic disseramus oportet de loco r. r. I 2, 16: „succinit (agricolarum vita pastorali), quod est inferior, ut tibia sinistra a dextrae foraminibus“. Praepositio „a“ cum magnam offensionem praeberet, locus multis coniecturis varie castigatus

est. Ursinus scripsit: „ut tibia sinistra dextrae" omissis verbis „a foraminibus"; Salmasius (ad Vopisc. Carin. 19 p. 826) „ut tibia sinistra a dextra foraminibus" coniecit indicavitque „a" praepositionem ad ablativum comparationis adiunctam esse (cf. Plin. h. n. 18, 13, 34: Ott, ann. phil. 1875 p. 794 sq.; Rönsch, Itala et vulg. p. 452). Sed ut ceterae (cf. Hand I, 44), sic hae emendandi rationes minus mihi probantur; potius codicum scripturam ita fortasse servari posse puto, ut tibiam propterea „inferiorem a foraminibus" dictam esse credamus, quod a parte foraminum inferior est i. e. infra foramina dextrae tibiae sita est.

§ 10. De verbis incipiendi.

incipere r. r. I 54, 1; l. l. V, 14: „incipiam de locis ab ipsius loci origine" („ab" Scioppius; cod. Flor. „sub"); V, 80; VIII, 25. — r. r. III 4, 1 haec codicibus exhibentur: „unde velis me incipere, Axi, dic. Ille, ego vero, inquit, ut aiunt post principia in castris, id est ab his temporibus[1]) quam superioribus". Scaliger, quem Ursinus et Schneiderus sequuntur, scripsit: „ut in castris, a postprincipiis, id est cett.". Sed erravit vir doctissimus in eo, quod verba „post principia" uno verbo utique continenda esse credidit. Docet enim Gronovius (observ. l. IV, 10 pagg. 631 sqq.) has voces interdum disiunctas legi. Sunt autem „principia", ut videntur, locus quidam castrensis. Itaque hic quoque haec verba dirimenda locumque sic interpretandum esse dico: „incipe post principia i. e. non ab ipsis principiis, sed ab iis, quae post ea sunt". Quamquam hanc sententiam si sequimur, ordo verborum a codicibus traditus ita mutandus est, ut scribamus: „post principia, ut aiunt in castris" vel potius secundum morem Varronianum: „post principia, in castris ut aiunt"; nam hae collocationes simpliciores et aptiores mihi videntur quam quae a Nettleshipio (Journ. of phil. 1877 p. 175) proposita est: „ut aiunt in castris, post principia".

initium facere l. l. V, 17; a. r. d. XVI, 16. l. l. X, 62: „sin ab singulari quis potius proficisci volet, in illum facere oportet ab sexto casu". Pro corrupta codicis Flor. scriptura „in illum" Laetus scripserat „id illum", quod in omnes editiones praeter

---

[1]) De voce „potius" non addita cf. Keil, obs. critt. in Cat. et Varr. de r. r. libros. Hal. 1849 p. 36.

Spengelianam receptum est; „initium" coniecit Grothius (de M. T. Varr. libr. cod. Flor., diss. Argent. 1880, p. 66 no. 430). Et haec quidem Grothii coniectura et per se aptior esse et defendi videtur simillimis verbis, quae paullo supra (X, 56) leguntur: „quoniam proficisci oportet ab eo —, a multitudine commodius potest esse ordiri".

initium sumere r. r. II 4, 9. — *ordiri* l. l. X, 54; 56. — *repetere* l. l. X, 28: „repetam ab origine".

Eodem modo „ab" cum verbo *numerare* coniungitur: r. r. II 1, 7: „ab iis principibus (ariete et tauro) duodecim signa (sc. caelestia) multi numerant". Cf. item Cic. Phil. VII, 1; Iuv. VIII, 31 (a Pecu numeres genus). l. l. VI, 33, ubi haec in cod. Flor. scribuntur: „mensium nomina sunt aperta, si ut a Martio antiqui constituerunt, numeres. Nam primus a Marte", incertum est, utrum cum Victorio „a Martio, ut —" legendum an cum L. Spengelio verba „a Martio" delenda sint.

§ 11. De verbis capiendi.

a) *capere* l. l. V, 178; *accipere* r. r. II 1, 2; 3, 1; 10, 4; I 37, 2; l. l. VII, 3; 107; X, 16. — *emere* r. r. III 2, 7: „emere a M. Seio villam". Item II 9, 5; III 3, 4; 8; 7. 10 (contra „emere ex" dicitur de locis, unde quid emitur; cf. § 35). — *exigere* (i. e. postulare) r. r. III 6, 3; l. l. V, 181. — *poscere* S. M. pag. 146, 8: „ab Arato posces coronam"; l. l. VI, 39. — *repetere* r. r. II 5, 1: „si a me repetant (asses)"; r. r. I 1, 7: „indicabo, a quibus scriptoribus ea repertas". Sic ABm; Victorius etiamsi „reperitas" in cod. Marciano sese legisse affirmat, tamen erravisse in legendo et ipse quoque ibi „repertas" videtur invenisse. Merula omnesque deinde editores „reperias" scripserunt, quae quidem lectio nullo modo ferri potest (cf. r. r. I 2, 28: reperire apud scriptores); probanda igitur est Victorii emendatio a Keilio recepta „repetas". — *sumere* l. l. V, 107; VI, 5; VII, 110; IX, 93; 95.

Eodem referenda videntur haec: r. r. II 1, 8: „a pecuariis addtderunt capram, haedos, canes". — r. r. I 24, 4: „ille adiecit ab eodem scriptore" (sc. a Catone, cuius verba obliqua oratione sequuntur). F. Zahlfeldtius (quaest. critt. in Varr. r. r. libros, Berol. 1881 p. 25) verba „ab eodem scriptore" tollenda

esse censuit; credi enim vix posse Stolonis verba verbis „ille — scriptore“ additis a Varrone interrumpi. Sed haec ratio ideo probari nequit, quod pronomen „ille“ non ad Stolonem, ut Zahlfeldtio videtur, referendum est, sed ad Scrofam, cuius sermo cum c. 23 § 7 usque ad c. 24 § 3 a Stolone interruptus esset, quaestionem susceptam tractare pergit. Nam Scrofam inde ab c. 24 § 4 loqui ex verbis apparet, quae sunt in fine capitis 26 et in initio capitis 27. Ceterum etiam r. r. I 10, 1 is, qui praecipue loquitur, — est autem idem ille Scrofa — postquam sermo interruptus est, item pronomine „ille“ disputans denuo inducitur; denique verba „ab eodem scriptore“, ut hoc loco, sic paullo supra I 22, 5 ad Catonem ipsa quoque pertinent. („Adicere de“ r. r. I 1, 10 cf. infra § 22).

r. r. II 11, 2: „ab hordeo et stupla pecude pasta“. Haec verborum coniunctio, quae hic tantum in litteris latinis invenitur, mea quidem sententia inde explicanda est, quod in verbo pascendi notio capiendi inest (cf. infra § 22 *d* „pasci de“).

Quam cotidiano similis ac neglegens sermo sit Varronianus, ex his maxime exemplis intellegi potest: r. r. II 4, 3: „qui succidiam in carnario suspenderit ab lanario“ (sc. emptum); r. r. II 7, 8: „ab locis equae nares equi tangunt“.

b) *audire* r. r. I 1, 11: „quae a peritis audii“. Item II 3, 10. (Contra I 2, 27: „quibus verbis Tarquennam audivi“; est autem „dicere“ vel „dicentem“ cogitatione supplendum; cf. II 10, 8: „te audii dicere“; III 16, 10: „quem audivi dicentem“). — *discere* r. r. I 2, 1; III 16, 4; l. l. V, 111. — *optare* a. r. d. I frg. 16: „optemus a Libero aquam“. „optare ab“ rarissime exstat; noti mihi sunt hi tantum loci: Ter. Eun. V 9, 27; Cic. Cat. II, 7; Liv. XXI, 43. — *percontari* r. r. III 12, 1: „percontati nos ab illo“. — *precari* l. l. VII, 102: „ab eo (deo) precari solent, ut“ cett. — *quaerere* l. l. VI, 55: „fati id, quod ab iis quaesitum“; S. M. p. 116 II v. 7: „quaero a vobis, si“ cett.; ibid. p. 194, 1: „quaerit ab Hannibale, cur“ cett. Videmus igitur apud Varronem e verbo „quaerere“, si habet interrogandi significationem, semper „ab“ praepositionem pendere. Quare cum haud dubie corrupta sint, quae S. M. p. 100, 2 apud Nonium (p. 179, 10) in codicibus scripta sunt: „quaero te, utrum cett.“ libentius facio cum Roepero „a te“ legente (Philol. XV p. 291)

quam cum Fr. Iunio, qui „ex te“ scribi voluit. Cicero quidem „quaerere ex et ab“ dicit (cf. Kühner II, 1 p. 223 A, 5).

Caput II.

„Ab“ notione temporali positum.

„Ab“ hoc modo adhibitum ut apud priscos scriptores (cf. Holtze, synt. prisc. lat. I p. 99 sq.), ita apud Varronem multo usitatius quam „ex“, ne dicam, solum fere in usu fuit (cf. infra § 37). Contraria ratio apud Ciceronem videtur valere (cf. Draeger, Histor. Synt. d. lat. Spr. I p. 634).

§ 12. Ipsum temporis initium, a quo quid esse aut fieri incipit, non temporis perpetuitas in his exemplis respicitur:

a) r. r. II 2, 11: „ab occasu parvo intervallo interposito“; III 3, 5: „apes subter sugrundas ab initio villatico usae tecto“ (aliter I 2, 16; II 4, 3; cf. § 13 a).

Sic dicitur „recens“, „continuo ab“: r. r. II 8, 2: „pullum a partu recentem“ (item Cic. n. deor. III 5, 11; Verg. Aen. VI, 450); II 11, 2: „(lac) a partu continuo est sumptum“ (haec verborum coniunctio apud nullum alium praeterea scriptorem legitur). II 5, 2 et ibid. 9, 12: „secundum partum statim“ (cf. Reiter, quaest. Varron. gramm., diss. Regim. 1882 p. 69).

l. l. IX, 16: „nutrix pueros a lacte non subito avellit a consuetudine, cum a cibo pristino in meliorem traducit“. „Pueros a lacte“ exhibet cod. Florentinus; quam scripturam C. O. Müllerus servavit et ita studuit defendere, ut haec verba in unum comprehenderet compararetque cum loco Col. VIII, 59: „a matre pulli“; L. Spengelius ea abundare, ut videtur, recte existimavit. Est autem verisimile verba „a lacte“ super verba „a pristino cibo“ explicationis causa scripta in textum venisse.

Idem praepositionis usus apparet in designando temporis ordine (cf. supra § 9 a): r. r. II 4, 16: „a partu decimo die“; II 4, 19: „a partu decem diebus proximis“. Item II 9, 12. (II 7, 11: „decem diebus secundum partum“).

r. r. III 9, 10 in codd. scriptum est: „diem et noctem incubent praeterquam a mane et vespere“. Lectionem „a mane“ unus Victorius retinuit; Iucundus iure „a“ delevit: hac enim, quae sensu loci postulatur, significatione („am Morgen“) a

Varrone simplex „mane“ semper usurpatum est (cf. r. r. II, 4, 6; 4, 15; 5, 1; 5, 16; 5, 17; 7, 8; 11, 4; III 7, 10; 9, 13; l. l. VI, 31; IX, 60; S. M. p. 158 XI); locutio autem „a mane“ apud omnes scriptores nullam aliam habet vim nisi „vom Morgen ab“ (cf. Pareus, lex. crit. p. 3). Keilio autem teste (ind. lect. Hal. aest. 1883 p. IV) r. r. librorum textus corruptus est interpositis imprimis praepositionibus vel coniunctionibus.

§ 13. „Ab totum temporis spatium una comprehensione amplectitur“ (Hand l. l. I, 21, 2) his locis:

a) r. r. II 5, 16: „ab aequinoctio autumnali pascuntur“; III 16, 13: „ab aequinoctio verno florere“. II 7, 13: „a quo tempore farrago dari solet“. Item ibid. § 14: „ab eo tempore“ (contra a. r. d. I frg. 6: „ex quonam tempore“; item, ut videtur, semper fere Cicero, cf. Draeger I, 634). — In formularum consuetudinem venerunt locutiones „ab initio“ et „a sempiterno“. r. r. I 2, 16: „vita qualis fuerit ab initio, ostendit“; II 4, 3. (Item Liv. I 5, 5; Quint. inst. II 7, 12). — *a. r. d.* I frg. 6: „dii — *ex* quonam tempore an *a* sempiterno fuerint“.

b) Saepe adiecta est praep. „ad“ (usque ad), ut continuitas temporis indicetur; exempli causa pono r. r. I 28, 2: „a favonio usque ad aequinoctium vernum dies XL“; ibid. 37, 1: „a nova luna crescit ad plenam“. Item ibid. 34, 1; II 2, 11; 2, 13; 5, 13; 7, 14; 11, 4; 11, 9; l. l. V, 69: „ab luce, qua quis conceptus est, usque ad eam, qua cett.“

c) Fert etiam sermo maxime cotidianus vel rusticus, ut „temporis initium rebus apparentibus vel actis denominetur“ (Hand I p. 21), ut: r. r. I 37, 5: „quod observant a piro florente“; II 1, 18: „appello feturam a conceptu ad partum“. — Ad analogiam locutionum „a puero“, „ab adulescentulo“, aliarum (cf. Kühner II, 1 p. 360) a Varrone solo haec ficta sunt: r. r. II 1, 13: „(vacca) a bima aut trima fructum ferre incipit“ (i. e. a bima, trima vacca).[1]) II 8, 2: „hic (asinus) ita educatus[2]) a trimo[3]) potest admitti“.

---

[1]) Falso in primis editionibus „a bimatu aut trimatu“ contra codicum auctoritatem scriptum est.

[2]) Sic Keilius; codices eductus, quae forma ab usu loquendi Varroniano abhorret; cf. Sat. Men. pag. 248 V.

[3]) V*AB* „a primo“; sed locis Col. VI, 37 et Pall. V, 14 collatis Ursinus „a trimo“ correxit.

Huc quoque referri potest l. l. IX, 26: „cum sex horis aestus creverunt, totidem decreverunt, rursus idem itemque ab his". Sequor enim in verbis „itemque ab his" intellegendis Madvici (adv. critt. II p. 175) et Reiteri (l. l. p. 78 sqq.) sententiam.

Caput III.

„Ab" notione translata positum.

§ 14. „Ab" originem alicuius rei indicans cum iis verbis coniungitur, in quibus ipsis quaedam originis notio inest.

oriri: primum „ab" praepositione cum participio „ortus" iuncta remotior quaedam origo significatur: r. r. II 1, 9: „Romanorum populum a pastoribus ortum quis non dicit?"; ibid. 3, 3: „oves, quas pascimus, ortae sunt ab ovibus feris"; ibid. 4, 1: „cognosce (non) me esse ab Eumaeo ortum." Item III 1, 7; l. l. V, 101: „a Roma orti Siculi" (i. e. a Romanis; cf. item Liv. I, 52; XXI, 7); VII, 29: „hoc ab Sabinis orti Samnites tenuerunt"; VIII, 83. Item Cic. Mur. 31, 66; Caes. b. G. VI, 18, 1; (cf. Draeger I, 518).

l. l. VIII, 4: „ut ab Aemilio homines orti Aemilii ac gentiles, sic ab Aemilii nomine declinatae voces in gentilitate nominali". Sic cod. Flor.; Beckerus (antiqu. Rom. II, 1, 37, annot.) pro „homines" scripsit „homine". L. Spengelius „homine omnes" coniecit, particulam „ac" sustulit, „Aemili*i* nomine" in „Aemili*o* nomine" mutavit. Equidem his ex parte receptis in hunc fere modum verba restituenda puto: „ut ab Aemilio homine homines orti id est Aemilii gentiles, sic ab Aemilio cett." Comparatione enim gentilitatis humanae et nominalis postulari videtur, ut ablativo „homine" ablativus „nomine", nominativo „homines" nominativus „voces" opponatur. De formula Varronis maxime propria „id est", pro quo in libris manuscriptis *.i.* scribi constat, cf. Keil, ind. lect. Hal. aest. 1884 p. VI.

Saepissime „ab" ex quavis verbi „oriri" forma ita pendet, ut verbum a verbo originem ducere indicetur. Est enim, ut id hoc loco semel dicam, praep. „ab" sola fere (cf. infra ex § 38 et 39) ad indicandam verborum originem in omni genere a Varrone adhibita (cf. § 14 b, § 15): l. l. V, 20: „ortum a chao cavo

2*

caelum" [1]); VIII, 53: „oritur a venatore venabulum"; ibid. 56; 58; VI, 37; IX, 114; X, 1. 52.

origo (*est*): l. l. V, 92: „a pastoribus horum vocabulorum origo"; VII, 94: „clepsere — clepera, quorum origo a clam". — *nasci*: l. l. V, 129: „ornatus quasi ab ore natus"; VII, 91: „natum a cicco cicur"; VIII, 81.

b) Cum verbis „declinare (declinatus), propagare, facere, fieri, fingere" coniuncta „ab" praepositio ad originem verborum significandam adhibetur:

declinare r. r. I 31, 3; l. l. V, 121. 154; VI, 2. 58. 59. 69. 73: „spes a sponte potest esse declinata"; VI, 83; VII, 26: „Carmenae ab eadem origine sunt declinatae"; ibd. 103; VIII, 4; 34; X, 50. *declinatus* VIII, 10. — *propagare* l. l. IX, 74. — *facere, fieri* l. l. VIII, 34: „ab similibus (verbis) alia fiunt similia"; ibd. 58; V, 115; VII, 67; IX, 82. 89: „ut faciamus a Meto Metonem"; ibid. 91; X, 32. 50. — *fingere* l. l. V, 96. 120. 127. 178: „corellarium fictum a corollis"; VI, 54; VII, 80; 106; VIII, 34; 35; 58.

c) Etiam e verbo „esse" „ab" originem significans pendet: r. r. II 11, 2: „lac melius est a valentibus" (sc. vaccis); l. l. V, 61 (de cerimonia quadam nuptiali agitur): „mas ignis, quod ibi semen, aqua femina, quod fetus ab eius humore" (sc. est). Item „est" supplendum videtur l. l. V, 31: „nympha, a qua et Iapeto traditur Prometheus" (sine ulla auctoritate est vulgata lectio „ex qua"). — Sunt huiusmodi exempla apud scriptores latinos rariora; ex Ciceronis quidem libris duo tantum novi: n. d. II, 52, 129; Brut. 16, 62: „si me a M. Tullio esse dicerem". Cf. „esse ex" § 38 b. — In libris de l. l. „esse ab" tricies bis legitur idque semper in etymologiis, ut VI, 64: „sermo est a serie"; VIII, 7: „est ab Terentio Terentia".

d) Cum quadam dicendi libertate haud dubie a sermone vulgari profecta r. r. II 2, 1 praepositio „ab" cum nomine urbis coniuncta pro adiectivo admissa est: „videamus, quid pastores a Pergamide Maledove potis sint". — Similiter Verg. Georg. III, 2 (pastores ab Amphryso), etiam Prop. IV, 6, 37; Val. Flacc. I, 365; crebro apud Livium, ut I 50, 3 (Herdonius ab Aricia), aliis locis (cf. Drakenb. ad Liv. IV, 17, 7). — Saepius ablativus non addita praepositione positus est apud priscos poetas, bis

[1]) Sic cum Grothio l. l. p. 19 scribo.

apud Caesarem (b. c. I, 24: „Magius Cremona"; III, 17, 1); cf. Draeger I, 497 sq.

Eiusdem quidem generis, sed multo etiam liberior est huius praepositionis usus r. r. II 5, 5: „hunc esse, qui filios Neptuni a Menalippa servarit". Nullum huiusmodi exemplum apud alium scriptorem inveni.

§ 15. In magno etymologiarum numero, quae praecipue in libris de l. l. exstant, non mirum est, quod plurima reperiuntur exempla, in quibus „ab" cum verbis et substantivis nominandi iunctum originem nominalem indicat; additur autem his verbis:

appellare: l. l. V, 36: „a colendo colles appellarunt"; r. r. II, 1, 6: „eas (capras et oves) a[1]) sua voce Graeci appellarunt mela; non secus nostri ab eadem voce cett." Praeterea „appellare ab" novies in r. r., tricies septies in de l. l. libris legitur; item Cic. legg. I, 6, 19; Liv. I, 1, 11; Vell. Pat. I, 33. — *dicere*: r. r. I, 31, 3: „dicta a pariendo parilema"; item in r. r. quattuordecies, in de l. l. libris centies sexagies quater. Ex coniectura „ab" praepositio his locis adiecta est, ubi in codd. omittitur: r. r. I, 48, 2: „granum gerendo" (sc. dictum); sic *P* et *B*; *A* et *m* recte „a gerendo". — l. l. V, 48: „(Suburam) a pago potius Succusano dictam puto"; „a" ex epitome addidit Laetus. Eidem debetur „a" V, 115: „scutum a sectura" (sc. dicitur). — r. r. I, 31, 4 legitur in omnibus codicibus: „is (coliculus viteus) serpit ad locum, quo capiendo capreolus dictus". In principe editum erat „ex quo a capiendo", quod in omnes deinde editiones receptum est; sed potius, nisi maior hoc loco exstat corruptela, cum Keilio faciendum est, qui „a quo capiendo" proposuit; relativum pronomen cum gerundivo similiter compositum est l. l. VII, 36: „in silvestribus locis traditum est solitos fari, quo fando Faunos dictos", ubi probanda est vulgata lectio „a quo fando". — r. r. III, 12, 6: „L. Aelius putabat ab eo dictum leporem a celeritudine, quod levipes esset". Ursinus eumque secuti Gesnerus et Schneiderus verba „a celeritudine" ut interpolata uncinis incluserunt; sed hoc loco quandam dicendi neglegentiam statuendam esse iudico similiter ac l. l. V, 132: „ab eo, quod dimidiam partem retrorsum iaciebant, ab reiciendo ricinium dic

---

[1]) „a" priore loco in codd. omissum Ursinus inseruit

tum". Accedit, quod „celeritudo" est ἅπαξ λεγόμενον, quod vocatur, neque credi potest verbum fere inauditum ab interpolatore aliquo usurpatum esse. — *etymum habere* r. r. I 48, 2. — *nominare* r. r. I, 48, 2: „(speca) a spe videtur nominata". Item viginti aliis locis „nominare ab" invenitur. — *cognominare*: l. l. VII, 45. ibd. V, 32: „universus ager dictus Latius particulatim oppidis cognominatus, ut *a* Praeneste Praenestinus". Sic Flor., sed certe „ab" ante verbum „oppidis" inserendum est, praesertim cum verba „*a* Praeneste" sequantur. (De „nominare ex" cf. § 39). — *nomen, cognomen*: r. r. III, 1, 6: „ab agri genere nomen ei est impositum"; l. l. V, 52: „a quibus cognomina habent". Item ibd. 84. V, 146 (cognomen addere ab); VIII, 83 (nomen habere ab); v. p. R. I, 4 (nomen fingere ab). — Hic statim afferam r. r. II, 1, 8: „ab his (sc. pecudibus) regionibus notae [a pecore]". Sic V*AB*; Iucundus „regionum" scripsit simplicius quidem, sed sine iusta causa; vox „nota" pro „nomen" adhibita est etiam Ov. fast. I, 596: „ille Numantina traxit ab urbe notam". Verba autem „a pecore" glossema esse Gesnerus recte iudicavit. — *imponere*: l. l. V, 1: „scribam, a quibus rebus vocabula imposita sint". Item ibid. 2; VII, 32; VIII, 8; IX, 34. Cf. Plin. hist. nat. 34, 14, 143. — *vocare*: r. r. I, 46; II, 11, 11; III, 16, 15; l. l. V, 135: „vocatur coum a covo"; aliis locis. l. l. VI, 58: „nuntius a novis rebus nominatus, quod a verbo graeco potest declineatum; ab eo itaque Neapolis Novapolis vocitata". Verisimillima coniectura Reiterus (l. l. p. 98) scripsit: „. . . declinatum νέος; itaque cett." — *nobilitari* r. r. II, 5, 4: „ab hoc pecore (sc. bubus) Buzuges nobilitatus" (cf. r. r. II, 7, 6: „nobiles a regionibus dicuntur").

§ 16. „Ab" ex passivis verborum formis pendet:

a) ac primum quidem cum nominibus hominem significantibus coniungitur. Sed cum Varro hoc in usu vix quidquam habeat, quod a vulgari consuetudine abhorreat, non opus est omnia exempla afferre. Adnotanda videntur haec: l. l. VI, 20 offensionem aliquam praebent, quae in cod. Flor. scribuntur: „Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo et in circo ad aram eius ab sacerdotibus ludi illi, quibus virgines Sabinae raptae". Desideramus certe verbum, ex quo „ab" pen-

deat; neque tamen assentiendum est Laeto „fiunt“ ex coniectura ante verbum „ludi“ adicienti, cum haec verbi omissio Varroniani sermonis neglegentia et brevitate satis excusetur. — Deinde Varro non „ab“ praep., sed ablativum solum semper solet usurpare, si homines non sua sponte aliquid facere, sed ab aliis instrumentorum loco adhiberi dicuntur, ut r. r. I, 17, 2: „agri coluntur servis aut liberis aut utrisque“; ibid. 18, 7: „scies — quot quaeque hominibus colantur“ (contra I, 5, 4: „per quos colendum“); ibid. 38, 3: „stercus quam paucissimis operis egeratur“. Haec quidem loquendi ratio Draegero (I p. 547 sq.) auctore apud priscos poetas omnino non exstat, raro apud Ciceronem eiusque aequales, contra saepissime apud omne genus scriptorum inde a Ciceronis aetate. — l. l. V, 140: „brevius vehiculum dictum est aliis arcera“; A. Spengelius recte „ab“ ante verbum „aliis“ addidit.

b) Imprimis Varronianum dicendi genus ab aliorum scriptorum sermone eo discrepat, quod magna exemplorum copia apud eum invenitur, in quibus „ab“ ex verbis passivis vel intransitivis loco passivorum positis pendens r e r u m nominibus additum est. Tria autem eorum exemplorum genera sunt:

α) Primum enim non tam vis praepositionis „ab“ causalis quam genuina localis (i. e. a parte alicuius rei) his locis videtur valere: l. l. VI, 65: „leguntur ab oculis litterae“ (cf. Petr. sat. 75, 4: „librum ab oculis legit“ i. e. a parte oculorum); S. M. p. 113: „rivus offensus aliquo a scopulo albicatur“; l. l. VII, 83: „ab igni solis aureo aër aurescit“ (i. e. aureus fit); l. l. V, 109: „dictum assum, quod id ab igni assudescit“.

r. r. I, 12, 3: „villa ab sole toto die inlustratur“ (cf. Cic. ac. II, 23: „a sole collucet“ i. e. a parte solis); r. r. I, 27, 2 in omnibus codd. legitur: „simul glaebis ac sole percalefactis“. Merula coniecit „ab sole“. Et haec mutatio sane quidem secundum usum Varronianum exemplis modo illustratum ita defendi potest, ut verba „ab sole“ interpretemur „a parte solis“. Sed multo magis mihi ea probatur ratio, ut particula „ac“ tollatur. Eiusmodi enim voculas persaepe in r. r. libris in textum irrepsisse constat (cf. Keil, ind. lect. Hal. aest. 1883 p. IV). Confirmatur autem haec sententia ex quadam parte loco r. r. I, 9, 2: „terra, quae sole perferve fit“ (cf. etiam I, 35, 2: „ea sole nutricantur“).

Prorsus eodem modo res se habet r. r. III, 8: „everrentes eorum stabula ac stercore ne offendantur". Haec optimis codicibus A et B exhibentur neque dubitari potest, quin eadem Politianus in codice Marciano legerit, quamquam is principis editionis lectionem „a stercore" parum diligenter non correxit. Merulae igitur coniectura „a stercore" si cui magis placeat, dicendum est „ab" praepositione hoc loco eam rem significari, a qua actio offendendi proficiscitur (a parte stercoris). Sed simplicius mihi videtur hic quoque „ac" delere.

β) Ad haec proxime accedunt ea, in quibus „ab" ita rerum nominibus additur, „ut res, qua aliquid factum est, non tam causam quam originem exhibeat atque ita magis appareat, unde aliquid ortum quam qua re factum sit" (Hand I p. 27). Cuius generis imprimis manifestum et insigne est exemplum r. r. I, 59, 2: „quod spectaculum datur ab arte, cur non quod natura datum cett." Eadem igitur significatione primum „ab" praepositio, deinde ablativus positus est. (Cf. similiter Cic. de off. I, 20, 68: „non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, qui invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate"). Contra „ab natura" duobus locis scriptum est: r. r. II, 4, 10: „suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum" et l. l. X, 61: „a natura libido humana corrigetur, non a libidine natura". Ergo „ab natura" et „natura" ita in formularum usum abierunt, ut sine ulla differentia usurpari videantur. Plane eadem est Ciceronis ratio, qui „a natura" usus est: de off. I, 29, 103; ac. post. I, 4, 15; n. d. II, 52, 133; de inv. I, 24, 35: „ab natura datus", sed cap. 25, 36: „non natura datum". — Duo restant exempla: S. M. p. 172, I: „pedes nostri ab animo moventur"; l. l. IX, 43: „non ab obliquis casibus fit, ut recti simili facie ostendantur".

Ceterum hic, quem modo tractavimus, „ab" praepositionis usus Draegeri testimonio (I p. 594) non invenitur apud priscos scriptores, saepius apud Ciceronem, velut de off. I, 2, 7 (a ratione), ad fam. XIII, 10, 1 (a more) aliis iisque paucis locis, crebro apud poetas post Ciceronem (cf. Draeger l. l.; Kühner II, 1 p. 278).

γ) r. r. III, 2, 17: „dicebat in Albano fundum suum semper vinci a villa; agrum enim minus decem milia reddere, villam

plus vicena". Hoc loco prosopopoeiam, quae vocatur, statuendam esse iudico: finguntur enim fundus et villa quasi adversarii, qui cum de principatu inter se certent, fundus vincitur.

§ 17. Cum paucis tantum scriptoribus Varroni is praepositionis „ab" usus communis est, quod ea causam eamque extrinsecus, ut ita dicam, allatam indicat, qua quis motus aliquid facit vel propter quam quid fit. Sed ea praepositionis vis non apparet nisi in his formulis pronominis demonstrativi et relativi: *ab hoc, a quo, ab eo.* Ac plerumque eae ut formulae adhibitae et in novi enuntiati initio positae nihil aliud nisi „itaque" significant.

a) In r. r. libris haec exempla exstant: I, 41, 1: „ficus sequitur caldorem. a quo fit, ut in locis frigidis ficeta fieri non possint"; II, 3, 7: „ab hoc[1]) in lege locationis excipi solet, ne cett." — II, 7, 6: „de stirpe (equorum) magni interest, qua sint. Itaque ab hoc nobiles a regionibus dicuntur cett." Sic recte Keilius scripsit pro codicum scriptura „ad hoc", quae quamquam nullo modo ferri potest, tamen a reliquis editoribus servata est. Nec mirum est, quod verba „itaque" et „ab hoc" idem fere significantia uno loco composita sunt. Haec enim verborum coniunctio primum defenditur loco r. r. II, 7, 16: „itaque ab hoc in Graecia potissimum medici pecorum ἱππίατροι appellati", deinde explicatur ea usu particulae „itaque" quodam Varroniano. Locis enim r. r. I, 2, 19 (itaque propterea), ibid. 8, 7 (itaque ideo), ibid. 16, 5 (itaque ideo), II, 4, 5 (itaque ob eam rem), l. l. V, 112 (itaque propter hoc) collatis manifesto apparet interdum particulam „itaque" in inanis fere formulae consuetudinem transiisse vel quasi abundantia quadam dicendi additam esse. Similis huius particulae ratio est apud Terentium et Livium (cf. Hand II p. 465), quamquam sola formula „itaque ergo" invenitur. Cf. Ter. Eun. II, 3, 26; Liv. I, 35, 2, aliis locis (vide Gronov. ad Liv. III, 31, 5; Drakenb. ad Liv. I, 25, 2). — Est autem certe haec verborum abundantia ex vulgari sermone orta. — (Quae cum ita sint, loci l. l. V, 24 (itaque ideo) et ibid. 66 („itaque inde", sic Flor.; „itaque ideo" Groth.) ab A. Spengelio (edit. p. 10 annot. ad v. 13) in suspicionem vocati satis magnam excusationem videntur habere.

---

[1]) Reicienda est principis editionis lectio „ob hoc".

Denique haud scio an r. r. I, 45, 3 codicum scriptura „itaque ita“ retineri possit (vulgo „idque ita“; Keilius „atque ita“).)

Eodem fortasse pertinet r. r. I, 2, 18: „vide, ne istuc sit ab hoc“; „hoc“ enim neutrius, non masculini generis formam esse puto; improbandum autem est, quod Schneiderus Merulam secutus scripsit: „ad hoc“.

b) Saepius hae formulae in libris de l. l. reperiuntur: V, 23: „is humatus mortuus, qui terra obrutus; *ab eo*, qui Romanus combustus est — quod inhumatus sit, familia funesta manet“; ibid. 34: „eius (sc. actus) finis maximus constitutus in latitudinem pedes IV — fortasse ab eo quattuor, quod cett.“; ibid. 69: „ficta a iuvando et luce Iuno Lucina. *a quo* parentes eam invocant“; ibid. 91: „primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui *ab eo* in singulis turmis etiam nunc sunt terni“; VI, 22: „Fontanalia a fonte, quod is dies feriatus eius: *ab eo* tum in fontes coronas iaciunt“; ibid. 74: „praes, qui a magistratu interrogatus, in publicum ut praestet. *a quo* et cum respondet, dicit: praes. — *a quo* caveri postea lege coeptum est ab his cett.“; VII, 15: „Aufractum ab ambitu et frangendo: *ab eo* leges iubent cett.“

Maxime vero formulae *ab eo, a quo* locum habent in afferendis locis a poetis vel aliunde petitis; modo autem hae locutiones, modo *itaque* vel *ideo* ponuntur, ut V, 44: „ab eo scripsit: cett.“; ibid. 27: „fluvius, quod fluit; item flumen. *a quo* lege praediorum scribitur: cett.“; ibid. 62: „*a quo* est in Sota Enni“ (cf. VII, 65: „itaque est in Melanippa“); V, 89; ibid. 97: „capra carpa. *a quo* scriptum: omnicarpae caprae“ (cf. VII, 32: „itaque Ennius scribit“). Item ibid. 182; VI, 74; VII, 91. 96; X, 70.

Ceterum hic praepositionis „ab“ usus, quem modo tractavimus, apud Varronem primum reperiri videtur, postea praeter paucos apud Ovidium (fast. I, 215; II, 776; V, 323) et Senecam (brev. v. 16, 4) locos satis creber est in Liviano sermone, ut II, 14, 3: „inopi tum urbe ab longinqua obsidione“, aliis locis (cf. Drakenb. ad Liv. II, 14, 3). Sed formulae „ab hoc, ab eo, a quo“ Varronis unius videntur propriae esse; nusquam enim praeterea legi (cf. Tac. Agr. 45, ubi in lectione codicum „a quo“ Lipsius et Ernestius recte „a“ deleverunt).

§ 18. Sequuntur duo loci, quibus praepositione „ab" ea causa significatur, quae ab animo proficiscitur: r. r. I, 2, 19: „cum (hostiam) ab eodem odio alter (deus) videre nollet, alter etiam pereuntem vellet" (cf. Liv. 36, 24, 7: „oppidum diripiunt non tam ab ira nec ab odio"); l. l. VI, 14: „hic dies unus ab nominis errore observatur" (cf. Liv. 30, 6, 1: „ab eodem errore credere"). — Fortasse húc referendum est VII, 49: „duellum, id postea bellum; ab eadem causa facta Duellona Bellona". cf. Sen. clem. I, 20, 1.

Haec dicendi ratio eo magis memorabilis est, quod nec a priscis scriptoribus usurpata est nec apud Cíceronis aequales usquam reperitur uno exemplo excepto (cf. Draeger I p. 624), quod legitur in epistola Balbi (ap. Cic. ad Att. 9, 7 B, 3): „scio me ab singulari amore ac benevolentia, quaecunque scribo, scribere". Est autem hic usus praecipue a Livio receptus (cf. Fabri ad Liv. 21, 36, 7; Drakenb. et Fabri ad Liv. 24, 30, 1). Accedunt Curt. V, 4, 1; Tac. hist. IV, 72; Sil. Ital., qui formulam „ab ira" adhibet.

§ 19. Crebro „ab" apud Varronem pro ablativo relationis vel limitationis ita est positum, ut, ex qua parte aliquid consideretur et ad aliam rem referatur, significet. Vim igitur habet „quod attinet ad" vel „secundum" (cf. Hand I p. 56 sq.; Draeger I, 622 sq.).

r. r. II, 4, 4: „boni seminis sues animadvertuntur a facie" (ceteris locis omnibus „animadvertere *ex*" scribitur, cf. § 46); ibd. 4, 22: „gregis numerum pastor ab sua utilitate constituit". — II, 11, 2: „horum sunt discrimina et a pastionibus et a pecudum natura". Similiter l. l. IX, 60: „discernerentur nomina gentilicia ab numero: Secundus, Tertius, Quartus" et ibid. VI, 3: „id (tempus) divisum in partes aliquot ab solis et lunae cursu" (contra r. r. I, 2, 3: „dividere *secundum*"). — l. l. IX, 74: „ab huiusmodi dissimilitudinibus reprehenditur analogia, quod cett." (contra ibid. 70 et 110 „reprehendere *de*" eodem sensu). v. p. R. II frg. 23: „neque id ab orbita (i. e. ad exemplar) matrumfamilias".

r. r. I 6, 2: „genera a specie simplicia" (contra I 7, 2: „quae specie fiunt venustiora"). II, 2, 2: „has (oves) oportet bonas emere, quae ita (sc. bonae sunt) ab aetate si cett." (cf. Keil

[1]) Verisimile mihi videtur nonnulla verba ante verbum „ab" excidisse, quibus, cur duellum bellum factum esset, omnino commemoraretur.

ind. lect. Hal. aest. 1883 p. VI). — r. r. II, 1, 5: „etiam nunc genera ferarum sunt aliquot, ab ovibus, ut in Phrygia, ubi cett.“ — l. l. IX, 40: „rogant, ex qua parte oporteat simile esse verbum, a voce an a significatione“ (de „ex“ et „ab“ praepositionibus hoc loco inter se mutatis vide infra § 36).

Denique huc rettulerim „laborare ab“ r. r. II, 2, 17: „a frigore et aestu ne quid laboret, curandum“. Cf. Plin. h. n. 32, 10, 46 (a frigore laborantibus); Caes. b. G. VII, 10 et b. c. III, 1, 5 (a re frumentaria). — Ablativus apud Varronem exstat r. r. III, 5, 2 (luto) et III, 17, 8 (incuria).

Caput IV.

De formis praepositionis „ab, abs, a“.

§ 20. Quae inter has formas intercedat ratio, ex hac tabella cognoscitur:

I. Ante *vocales* litteras et *h* semper „ab“ positum est.

II. „abs“ bis invenitur: r. r. II, 4, 14: „abs terra“ [1] (contra „ab terra“ l. l. V, 137; „a terra“: r. r. I, 8, 6; III, 7, 4; 8; l. l. VII, 74; IX, 38); S. M. p. 148, 2: „abs te“.

III. Ante litteras *consonantes*:

	a		*ab*		*a*	*ab*
	r. r.	l. l.	r. r.	l. l.	summa	summa
			1. consonae labiales.			
b	6	13	—	1	19	1
p	28	80	—	—	108	—
f	14	31	—	—	45	—
m	22	44	—	1	66	1
v	11	51	—	—	62	—
			2. consonae gutturales.			
c	16	82	—	1	98	1
g	5	31	—	2	36	2
q	30	85	—	1	115	1

[1] „abs terram“ AB; „ab terram“ P; „ab terra“ v.

3. consonae dentales.

d	5	18	1	19	23	20
t	8	26	—	23	34	23
s	7	51	4	69	58	73
n	6	19	1	10	25	11
j	—	3	—	6	3	6

4. consonae linguales.

l	5	19	1	40	24	41
r	8	12	2	27	20	29
summa	171	565	9	200	736	209

1. Ante consonantes labiales semper fere „a“ positum est; „ab“ invenitur ante „b“ l. l. V, 73: „ab bello“. — Ante „p“ plerumque „a“ exstat; his tantum locis lectiones aliqua ex parte incertae sunt: „ab“ scribendum esse puto r. r. I, 47: „ab prato“. Sic AP; „a prato“ Bv (cf. Neue, Formenl. d. lat. Spr. II p. 747). Contra „a“ praefero r. r. II, 9, 8: „a pecore“ (sic ABmv; „ab peco“ P) et cum maiore causa III, 17, 1: „a praecone“ (sic BV; „ab praecone“ A). — Ante „f“ „ab“ nusquam legi; „ab fundo“ (I, 16, 4) et „ab favonio“ (I, 35, 2) a Neuio (l. l.) ex editionibus Gesneri et Schneideri allata codicibus optimis non exhibentur. — Ante „m“ „ab“ scriptum est l. l. V, 103: „ab μαλάχη“. — Ante „v“ ubique „a“ legitur; etenim l. l. IX, 40, ubi cod. Flor. haec praebet: „rogant, ex qua parte oporteat simile esse verbum, oboceana significatione, respondemus a voce“, iniuria Laetus in „ab voce an a“ contra Varronis consuetudiuem correxit; Spengelius sequentibus verbis „a voce“ nixus „a voce an a“ bene scripsit.

2. Ante gutturales „ab“ positum est: ante „c“ l. l. VIII, 14: „ab capite“; ante „g“ V, 116: „ab galero“ et VI, 96: „ab γαργαρίζεσθαι“ [1]); ante „qu“ l. l. VII, 93: „ab quo“ (contra „a quo“ tricies septies inveni).

3. Ante dentales: r. r. I, 2, 17 praebent AV „ab tauro“, B „a tauro“; et haec posterior scriptura videtur vera esse, cum ante „t“ in r. r. libris nusquam „ab“ reperiatur et II, 3, 7 „a tauro“ item legatur. — r. r. I, 37, 1 („a nova“ VB; „ab nova“

[1]) Haec est probabilis A. Spengelii coniectura pro codicis Florentini lectione: *ΑΝΑΓΑΡΗϹ ΤϾ*.

A) et II, 4, 10 („a natura“ V*B*; „ab natura“ *A*) „a“ lego, cum V et *B* consentientes lectionem archetypi Marciani exhibere videantur. — r. r. III, 1, 8 „ab nullo“ (sic P*A*; „a nullo“ Bv) scribo. — r. r. I, 12, 3 „ab sole“ exhibet V, „a sole“ B*A*; codicum auctoritate „a“ commendatur. (Item „a sole“ I, 13, 4; contra „ab sole“ I, 7, 2; l. l. VI, 10). — I, 24, 3 (V*B*: „ab septemtrionali“; Am „a septemtrionali“); I, 50, 3 („ab stando“ et „ab stratu“ P*A*; Bv „a“); II, 4, 18 („ab sacerdotibus“ P*A*; „a“ Bv); II, 4, 22 („ab sua“ P*A*; „a“ Bv); III, 16, 17 („ab spurcitiis“ P*A*; „a“ Bv): his locis omnibus „ab“ puto recipiendum esse (cf. II, 2, 14: „ab saliendo“; II, 4, 9: „ab suillo“; III, 16, 8: „ab se“; contra III, 16, 19: „a se“). — II, 1, 3 „ad summa memoria“ P*B*; „a summa memoria“ Am; „ab“ certe genuinum est.

4. Ante linguales utramque formam Varro pariter usurpavit, cf. II, 4, 3: „ab lanario“; II, 7, 6: „ab Rosea“; II, 8, 1: „ab radicibus“.

§ 21. In compositione praepositionis formae secundum vulgarem usum adhibitae sunt.

B. Altera pars.

De praepositione „de“.

In universum praefandum est hanc praepositionem crebro apud Varronem modo cum „ex“, modo cum „ab“ praepositionibus sine ullo significationis discrimine mutari. Sed hac in re lex valere videtur, ut, adiectis praepositionibus *ad* aut *in*, usurpari soleant „*ab*“ et „*ex*“, ubi illae additae non sunt, etiam „de“ ponatur. Pauci tantum loci excepti sunt; cf. § 22 d et § 23.

Caput I.

„De“ locali notione positum.

§ 22. „De“ deducationem significans pendet e verbis movendi:

a) ac primum quidem ex iis, quae cum „de“ composita

sunt: *deducere* r. r. I, 36: „de segetibus, siqua est aqua, deduci". — *deplantare* I, 43 (de cytiso virgulas). — *deferre* I, 55, 3 (de ramulo plantam). — *decoquere* I, 61: „de ea (olea) decoquuntur duae partes". Item v. p. R. I frg. 34 e. — *demere* r. r. I, 18, 5: „ea XL, quae de CCXL demuntur" (deinde „demere ex" aeque). Item I, 1, 10; II, 1, 26; l. l. V, 94 (r. r. II, 7, 9 „demere ab" eodem sensu). — *detrahere* r. r. II, 10, 11.

b) „de" additur verbis cum „ex" compositis: *exire* r. r. I, 16, 5: „ne quis de fundo exeat". Item l. l. VI, 71. (De „exire ex" cf. § 34). — *eradere* I, 49, 1 (de pratis stipulam). — *exscribere* r. r. II, 5, 18: „quae exscripta de Magonis libris". (Contra „exscribere ex" Gell. n. A. III, 3, 8). — *eximere* l. l. IX, 44: „de extremis syllabis exemptum E". — *excludere* l. l. X, 57: „videmus ex his verbis trabes, duces de extrema syllaba E litteram exclusam".[1]) Nulla igitur differentia inter praepp. *ex* et *de* hoc loco intercedit; praeterea videmus ex eodem verbo, ut saepius apud Varronem, neglegenter duas praepositiones pendere.

c) „de" cum aliis verbis movendi coniungitur: *praecidere* r. r. I, 40, 4 (I, 40, 6 „praecidere ab" non aliter). — *adicere* I, 1, 10: „de graecis libris adiecit non pauca". (Item „adicere ab" I, 24, 4). — *discedere* I, 16, 5: „ne de fundo familia discedat". Item Cic. Verr. II, 4, 22, 49; Liv. 32, 40, 4. (De „discedere ab", „discedere ab — ad" apud Varronem cf. § 3). — *transferre* r. r. I, 40, 4: „quae de arbore transferas" (ibid. § 5: „transferre ex arbore — in"). — *secare* I, 50, 1. — *capere* r. r. II, 3, 10: „sperans se capturum de praedio denarium mille". „Capere de" etiam Ter. Andr. 651; Cic. p. dom. 49; Nep. 15, 3; Liv. 9, 38; simillime Hygin. fab. 75: „quis de re venerea voluptatem caperet?" (De „capere ab et ex" cf. § 11 et § 35). — *abducere* S. M. pag. 95, 2 („abducere ab" r. r. II, 9, 8 eodem sensu). — *tollere* S. M. p. 202, 7 (r. r. III, 9, 13 „tollere ab" non aliter). — *legere* r. r. I, 55, 1 (de oliveto oleam); „legere ex — in" l. l. VI, 66.

d) Substantivo verbali „transitus" adiungitur „de" l. l. VIII, 39: „transitum de cassu in cassum". Prorsus item X, 52. Sic Varro solus videtur dixisse, contra verbum „transire" semper cum „ex" praep. iungit; cf. § 34.

---

[1]) L. Spengelius „elisam".

e) r. r. III, 14, 4: „genera cochlearum sunt plura, ut minutae, quae adferuntur e Reatino, et maximae, quae de Illyrico adportantur, et mediocres, quae ex Africa adferuntur". (Contra II, 4, 10: „adport. ex — in"). Hic quidem locus maxime memorabilis est: primum enim ex eo elucet praepositiones ex et de nullo discrimine interdum usurpari; deinde hic tantum terrae nomini „de" praep. additur, ceteris locis „ex" adhibetur (cf. § 34 c). Praeterea „de" cum terrarum nominibus coniunctum inveni: Eutrop. 8, 6, 2 (de Assyria revocavit exercitus); ibid. 9, 19 (de Perside rediens). Certe haec dicendi ratio ex vulgari sermone sumpta est. (Aliter res se habet Liv. X, 46, 1 (de Samnio deduxit).

f) a. r. d. II frg. 2 „de" cum nomine urbis compositum est: „de Troia est egressus Aeneas". (Aliter Mart. I, 41, 12: de Gadibus improbus magister, et ibid. V, 78, 26). Ablativus exstat l. l. V, 100; IX, 67. — Ceterum nusquam praeterea „egredi de" legi videtur (de Cicerone, Caesare, Livio cf. Hildebrand: Ueber einige Zeitw. bei Cic. Caes. Liv. mit ab, de, ex, bloss. abl. verb., Progr. Dortm. 1859, p. 12).

g) Denique huc pertinere puto „pasci de": r. r. II, 3, 7 „(caprae) studiose de agrestibus fruticibus pascuntur"; notio enim capiendi videtur valere ita, ut r. r. II, 11, 2 „pasci ab" (cf. § 11). Ceterum hac structura nemo usus est; Varro quidem ipse plerumque ablativum ponit (r. r. I, 38, 3; II, 6, 4; 7, 7; 8, 4; 9, 8; III, 6, 3; 7, 10). De „pasci ex" (III, 17, 6) cf. § 40 b.

§ 29. „De" motum deorsum directum indicans cum his verbis coniungitur: *descendere* r. r. I, 54, 1: „(uva) prius debet descendere de vite"; ibid. 69, 3: „descendimus de aede". (Contra r. r. II, 1, 3; 1, 5; l. l. V, 75: „descendere ab — ad", cf. § 2; r. r. II, 1, 4: „descendere ex — in", cf. § 34). — *cadere* l. l. V, 63 (de caelo in mare). — *deicere* l. l. VII, 44 (de ponte in Tiberim); v. p. R. II, 11: „de ponte deici". — *deturbare* S. M. p. 218, 19 (de ponte in Tiberim).

§ 24. Locus, unde aliquid agitur, „de" praepositione designatur l. l. VI, 82: „specula: de quo prospicimus" (cf. Corte ad Lucan. III, 88). — De praepositionibus ab et ex hoc modo usurpatis cf. § 9 a et § 36.

Caput II.

„De" notione translata positum.

§ 25. „De" praepositio originem alicuius rei significans rarissime exstat et vel poetici vel posteriorum scriptorum sermonis propria est (cf. Kühner II, 1 p. 363). Apud Varronem haec exempla inveniuntur: a. r. d. V frg. 1: „duo sunt principia deorum animadversa, de caelo et terra" (cf. Verg. Aen. 9, 284: „genetrix Priami de gente vetusta"; Suet. Oct. 17: „de Cleopatra liberi"). r. r. I, 41, 5: „grana de fico obruere". Item ibid. II, 11, 4: „pro coagulo addunt de fici ramo lac et acetum" (cf. Cat. agr. 17: „semen de cupresso"; Plin. h. n. 26, 4, 11: „sucus de quinque folio"). r. r. III, 9, 14: „qua de clunibus coeperint habere pinnas (gallinae)". I, 38, 1: „id (stercus columbinum) ut semen aspargi oportere in agro, non ut de pecore (sc. stercus) acervatim poni" (i. e. stercus, quod ex pecore oritur). Animadvertenda est hoc loco in usu praepositonis magna dicendi libertas certe ex vulgari sermone petita.

§ 26. Interdum Varro „de" praepositione ad indicandam materiam, ex qua quid factum est, utitur. Cum verbo „*fieri*" iungitur ea r. r. I, 55, 5: „(olea), de qua fit oleum"; ibid. 22, 1: „ut quae ex viminibus — sic quae fiunt de cannabi". Hoc igitur loco „de" et „ex" nulla differentia posita sunt.

Eodem referendum videtur r. r. I, 49, 1: „(herba) cum peraruit, de his manipulos fieri"[1]). Similis est locus r. r. III, 9, 2: „gallinae villaticae —. de his qui ornithoboscion instituere vult cett." — „Facere de" legitur etiam Lucr. I, 112; Cic. Quint. 17, 55; Tib. I, 1, 3, aliis perpaucis locis (cf. Draeg. I p. 457).

„Esse" supplendum est l. l. V, 133: „Laena, quod de lana multa".

„De" cum substantivo coniunctum pro adiectivo materiae ponitur l. l. V, 116: „e loris de corio crudo pectoralia faciebant" (paullo infra: „cingulum *e* corio"). S. M. p. 202, 10: „locat sibi

[1]) Synesis „herba — de his", qua offensus Ursinius „de ea" substituit, exempla apud Varronem frequentissima sunt; cf. Zahlfeldt. l. l. pag. 13 sqq.

amiculam de lacte". Item Verg. Georg. III, 13 (templum de marmore); Ov. met. V, 183 (signum de marmore).

Semel, S. M. p. 178, „de" indicat transitum ex aliquo statu in alium fieri: „non haec res de Venere pacta strabam fecit". Ceterum pauca huius usus exempla apud alios scriptores exstant (cf. Draeger I p. 529; Kühner II, 1, 363); semper enim fere „ex" scribitur (de Varrone cf. § 40).

§ 27. Causalis praepositionis „de" significatio apud Varronem sola in formula „de causa" apparet, ut: „*aliquot* de causis" l. l. V, 43. — „*altera* de causa" r. r. III, 7, 6. — „*alia* de causa" l. l. VI, 93; „aliis de causis" V, 76. — „*diversa* de causa" r. r. I, 2, 19. — „*eadem* de causa" r. r. I, 7, 7. — „*simili* de causa" r. r. I, 41, 6; III, 2, 10; l. l. V, 154; 158; X, 4. — „*duabus* de causis" r. r. II, 9, 13; III, 7, 6. — „*duplici* de causa" r. r. II, 2, 12. — „*utili et necessaria* de causa" l. l. VIII, 3. — „*quibus* de causis" v. p. R. III, 7. — Videmus igitur eandem legem quam ceteros scriptores (cf. Hand II, 328) Varronem sequi solere, ut praepositionem post adiectivum vel pronomen ponat. Contraria collocatio invenitur l. l. V, 74: „potest Saturnus hic de alia causa dictus esse atque in Sabinis" (cf. Liv. 45, 23, 6: „de quacunque causa"; Cael. ad Cic. fam. 8, 15, 6: „de magna causa"; Cic. off. II, 6: „de causis pluribus"). — Ter „propter causam" scriptum est: r. r. I, 7, 6; 12, 2; l. l. V, 6. — r. r. II, 7, 12 et l. l. VIII, 2 ablativus usurpatur. — De „ab eadem causa" cf. supra § 18.

§ 28. Iam venimus ad eum praepositionis „de" usum, cum rem in universum significat, de qua agitur. Atque apud Varronem huiusmodi exemplorum copia tanta est, quanta certe apud nullum alium scriptorem. Cuius reî causas tres esse existimo: primum enim Varro in hac re cotidianum sermonem videtur secutus esse, cuius hanc consuetudinem propriam fuisse frequentia exemplorum, quae est in Ciceronis epistulis (cf. Hand II, 212), demonstratur; qua re fit, ut hic usus crebrior sit in r. r. quam in de l. l. libris. Deinde haec loquendi ratio aptissima erat ad eam neglegentiam, qua Varro in compositione verborum uti solet. Denique — id quod in r. r. libros fere solos cadit — Varro satis subtili rerum disponendarum studio inductus quotienscum-

que ad novam quaestionum partem aggreditur, universe eius argumentum indicat idque plerumque ita, ut hac praepositione utatur.

Sed sunt duo exemplorum genera:

a) Primum magis ad vulgarem usum accedunt haec (cf. Hand II, 212 sqq.; Draeger I, 631; Kühner I, 364 sqq.): r. r. I, 18, 6: „de familiae magnitudine commodissime scies, quantam pares, si cett."; ibid. 39, 3: „de singulis rebus videndum, quae quoque tempore facias". Item II, 1, 18: „primum videndum de admissione, quo quaeque tempore cett." II, 7, 6: „de stirpe magni interest, qua sint (sc. equi)". II, 3, 10: „de maribus et feminis idem fere discrimen, ut cett." II, 5, 18: „numerus de tauris et vaccis sic habendus, ut cett." III, 12, 2: „horum custodia, incrementum et pastio aperta, praeterquam de apibus". III, 17, 9: „Neptuno non cederet de piscatu". l. l. V, 180; VIII, 2; IX, 70: „(quidam) reprehendunt de casibus, quod quidam cett." Item ibid. 110: „analogiam de his, quae appellantur participia, reprehendunt" (de „reprehendere ab" cf. § 19); ibid. 80: „alii dicunt cupressi, alii cupressus, item de ficis"; X, 30: „in quibus (articulis) quaedam eadem (scil.: atque in substantivis) — de casibus quod habent quinos".

Cotidianum sermonem exhibent haec: l. l. IX, 111: „de eo, quod in priore libro extremum est, ideo non esse analogiam, quod cett., falsum".

b) Deinde nonnulla nomina cum praepositione „de" coniuncta in initio enuntiati ita sunt posita, ut nulla eius constructionis ratione habita quasi in inscriptionum vel titulorum loco haberi possint, ut: r. r. I, 19, 1: „de reliqua parte instrumenti — Saserna ad iugera CC arvi duo iuga satis esse scribit". II, 4, 22: „de numero in centum sues decem verres satis esse putant"[1]). II, 2, 3: „de forma ovem esse oportet corpore amplo". Item secundum codd. Parisin. A et Laur. m[2])

[1]) Iniuria Nettleshipius (l. l. p. 173) de veritate verborum „de numero" dubitavit.

[2]) Solam vocem „forma" V et *B* exhibent, quam quidem lectionem Zahlfeldtius (l. l. pag. 20) iniuria defendere studuit; pugnat enim contra Varronianam dicendi consuetudinem (cf. etiam infra r. r. II, 11, 6.

legendum est II, 3, 2: „de forma videndum, ut sint firmae, magnae cett.". II, 9, 2: „quare de canibus quoniam genera duo unum —, alterum —, dicam de cett." II, 7, 16: „de medicina vel plurima sunt in equis signa morborum". II, 11, 6: „de tonsura ovium primum animadverto, antequam cett." I, 18, 1: „de familia Cato dirigit ad duas metas". III, 6, 1: „de pavonibus, inquit, nostra memoria greges haberi coepti et venire magno". l. l. X, 70: „de genere multi utuntur non modo poetae, sed etiam plerique, qui —"[1]); ibid. 83: „de primo gradu cett. dicimus hi asses, hosce asses, hic as, hunc assem".

Ad familiarem sermonem proxime accedit Varro l. l. VIII, 52: „*de nominatibus*[2]) cett. — *eorum* declinationum genera sunt quattuor". Etenim verba „de nominatibus" per se posita excipiuntur genetivo „eorum", qui enuntiati structura postulatur.

r. r. I, 19, 3 scriptum est in codd. *A* et *B*: „non modo, qui prata habent, ut *potius* oves quam sues habeant, curant, sed etiam qui non solum pratorum causa habent, propter stercus. De canibus vero *utique*, quod villa sine iis parum tuta". Politianus praebet „*utile*", quae lectio cum omnibus codicibus repugnet, certe aut errore aut coniectura Politiani orta est. Quare falsa est Zahlfeldtii (l. l. p. 32) sententia, qui hac Politiani lectione recepta ex antecedentibus „habere" supplendum esse existimavit. Contra Keilius (obs. critt. p. 58) „quaedam postea a librariis omissa esse" censuit. Sed haud scio an ita codicum scripturam defendere liceat, ut ex antecedente enuntiato verba „ut habeant, curant" cogitatione suppleamus. Vox enim *utique* ad praecedentem *potius* videtur pertinere. Quo concesso sententia verborum haec est: „curant, ut *potius oves* quam *sues* habeant; de *canibus* (i. e. quod ad *canes* attinet) *utique* curant, ut eos habeant" (cf. III, 12, 7: „tria genera, si *possis*, habere oportet; duo quidem *utique* te habere puto"). Confirmatur haec sententia aliqua ex parte exemplo simili r. r. II, 1, 5: „genera ferarum sunt aliquot, ab ovibus, ut —, caprarum, quas —. *de subus* nemini ignotum (scil. genera ferarum esse) nisi qui apros non putat sues vocari".

---

[1]) Sic cod. Flor.; „quo genere" Scioppius; „degenere" Lachm. ad Lucr. p. 56; „de secundo genere" recte videtur coniecisse L. Spengelius.

[2]) Sic recte L. Spengelius; cod. Flor. „nominativis".

r. r. I, 21 codices exhibent haec: „de indomitis quadrupedibus ac pecore faciundum: si prata sunt cett." Scaliger, quem Gesnerus et Schneiderus sequuntur, verbum „faciundum" uncinis inclusit propterea, ut videtur, quod „faciundum" per se solum positum intellegi nequeat; certe enim aut subiectum enuntiati aut adverbium aliquod desideratur. Quare hoc verbum „faciundum" ita puto posse servari, ut adverbium „sic" addamus, quae quidem vocula ante sequens „si" facile excidere potuit; usus quidem huius particulae apud Varronem non obstat (cf. Reiter l. l. p. 114).

§ 29. Cum hac dicendi ratione cohaeret is praepositionis „de" usus, cum verbis sentiendi et dicendi additur, ut indicetur res, de qua in dicendo vel in deliberando agitur.

a) Vulgarem usum exhibent haec verba cum „de" praepositione coniuncta:

audire r. r. I, 2, 27. — *accipere* (i. e. audire) r. r. II, 1, 2: „de duabus primis rebus quae accepi"; II, 3, 1. — *admonere* (i. e. docere) l. l. VI, 40: „de multitudine, quod satis esset, admonui". Cf. Cic. n. d. I, 18, 46; Sall. Cat. 5, 9. — *agere* S. M. p. 171, 1. — *consentire* r. r. I, 7, 10. — *controversia* l. l. X, 36. — *decernere* l. l. VI, 81. — *definitio* l. l. X, 75. — *dicere*: exempla enumerare certe non opus est. — *disputare* l. l. X, 55. — *docere* r. r. I, 3: „de iis rebus, quae in scientia sunt in colendo, nos docete"[1]). Item Cic. de or. II, 24, 102; Caes. b. G. VII, 10; Sall. Iug. 13, 3; Liv. V, 15. — *dubitare* l. l. VII, 28. — *esse* (i. e. agi): *α*) r. r. II, 3, 6: „quod est de pastu, hoc dico"; ibid. 5, 18: „de sanitate sunt complura"; ibid. 2, 20: „de sanitate sunt multa"[2]). *β*) cum substantivis „liber" et „pars" coniunctum est r. r. III, 1, 9: „(liber) tertius est de villaticis fructibus"; item l. l. X, 33. — r. r. II, 1, 15: „quarta pars est de iure"; item ibid. II, 1, 2; 1, 18; 1, 21. *γ*) r. r. II, 1, 2 legitur: „de tertia parte, ubi est de arte, Scrofa suscipiet". Apparet igitur „esse" hoc loco per se positum liberius usurpatum esse vimque habere

---

[1]) Sic cum Keilio (obs. critt. p. 50 sq.) legendum est pro corrupta codicum scriptura: „de iis rebus quae in scientia sit in colendo nos docet".

[2]) De hoc loco cf. Zahlfeldt. l. l. p. 27.

verbi „agi"; quare non est, cur offendamus in his duobus locis: l. l. V, 1; „tris (libros) ante hunc feci, in quibus est de disciplina, quam vocant etymologiam". Sic cod. Flor.; L. Spengelius „est" delevit. ibid. X, 76: „quare magis apparebit, si erit aperte de singulis partibus, quid dicatur verbum cett." Muellerus „apertum" coniecit, L. Spengelius „aperte dictum" fortasse legendum esse adnotavit (cf. paullo supra X, 75: „haec diligentius quam apertius dicta"). Sed „si erit de s. p." nihil aliud videtur esse nisi „si agetur de s. p." — *exponere* r. r. I, 1, 11 („exponere" cum accus. I, 5, 2). — *historia* l. l. V, 30: „de Tiberis nomine anceps historia". Item ibid. 148. (Contra ibid. 157: „eorum duae traditae historiae"). — *legem ferre* r. r. I, 2, 9. — *librum facere* r. r. II pr. 6; l. l. VIII, 23; 26; IX, 26. *l. edere* r. r. I, 2, 28. *l. mittere* l. l. VI, 97. — *loqui* l. l. VIII, 20. — *opus* l. l. VII, 110: „omnis operis de lingua latina tris feci partes". — *oratio* r. r. II, 8, 1. — *pars* (sc. disputationis): r. r. I, 5, 1; 23, 1; II, 1, 16. — *praecipere* r. r. I, 22, 1. — *probatio* (i. e. quaestio) r. r. I, 20, 1: „de omnibus quadripedibus prima est probatio". — *quaerere* r. r. III, 14, 1: „nec de cochleis ac gliribus quaero"; l. l. VII, 105. — *referre* l. l. VI, 18. — *respondere* l. l. IX, 92. — *reticere* X, 13. — *scire* r. r. II, 4, 2: „quae scio de suillo pecore". *scientia* r. r. II, 5, 2. — *scribere*: longum est exempla afferre. — *sermo* r. r. I, 1, 7; III, 1, 16; 17, 10. — *stipulatio* r. r. II, 9, 7. — *verba facere* l. l. VI, 96. — Accedunt *μῦθος* (i. e. fama) r. r. II, 9, 4. — *actus* (i. e. disputationis pars) r. r. II, 5, 2: „actum de maioribus adtexamus". ibid. 8, 1; III, 16, 1; 17, 1.

b) Sequuntur verba, quibuscum „de" praep. apud alios scriptores aut perraro aut omnino non componitur; sed illud, quod in his constructionibus singulare ac Varroniani dicendi generis proprium est, non tam in ipsa „de" praepositionis coniunctione apparet quam in verborum usu, quae sine obiecto posita sunt. Et hac quidem dicendi neglegentia ac brevitate Varro omnibus certe scriptoribus praestat: *adicere* r. r. II, 11, 1: „eamus, si adieceritis de extraordinario pecudum fructu". (Item Quinctil., ut VI, 1, 50). — *expedire* (i. e. dicere) r. r. II, 4, 1: „quis de suillo pecore expedit?"; l. l. V, 57. Idem verbum cum Muellero l. l. VIII, 24 („de quibus quae expediero") restituendum

est; cod. Florentinus exhibet „experiero". „Expedire de" legitur etiam Tac. hist. IV, 48, 1. Contra „expedire" cum accus. Varr. l. l. V, 7; X, 33. — *percurrere* r. r. II, pr. 6: „de re pecuaria breviter percurram". („percurrere" c. accus. l. l. VIII, 2; IX, 113). — *ponere* (i. e. in medium proferre, cf. l. l. X, 13) l. l. V, 13: „de locis et de iis rebus, quae in his videntur, in hoc libro summatim ponam". — *reddere* (i. e. respondere, cf. Cic. Brut. § 74) r. r. II, 2, 1: „quoniam nos nostrum pensum absolvimus, nunc rursus vos reddite nobis de una quaque re". — *suscipere* (i. e. *ὑπολαμβάνειν,* post intervallum disputare rursus incipere, cf. r. r. I, 2, 24; II, 11, 11) r. r. II, 1, 2: „de tertia parte Scrofa suscipiet". — *tangere* (i. e. paucis agere, cf. l. l. V, 131; X, 30) l. l. VIII, 51: „de hoc genere parcius tetigi". — *usurpare* (i. e. dicere, cf. l. l. VIII, 43; Cic. or. 22, 73) l. l. VI, 52: „de hoc post erit usurpandum".

r. r. III, 2, 3: „(aves) mihi adposuisti — ad lacum Velini eunti de controversiis Interamnatium". Hoc quoque loco praepositione „de" ea res significatur, de qua in universum agitur, neque habemus, cur vim praepositionis causalem valere cum Handio (II, 216) credamus. (Cf. Cic. p. dom. 18, 47: „collegia, quae coeant de hominum locupletium bonis"; Ter. Hec. II, 2, 9: „adii te heri de filia"; ibid. Phorm. V, 7, 6). — Huc pertinere videtur etiam *relinquere* cum „de" praep. coniunctum r. r. III, 2, 13, ubi haec in codd. *A* et *B* leguntur: „quae in villa solent pasci, de quibus et Mago et Dionysius et alii quod in libris reliquerunt, quas Seius legisse videtur". Indicat „de" eam rem, ad quam relicti libri pertinent. Ceterum verba corrupta Jucundus ita emendare studuit, ut scriberet: „alii quid — quos". Keilius proposuit: „alii quaedam — quae". Fortasse facili coniectura scribendum est: „Mago et Dionysius et *alii aliquot — quos*". Vox „aliquot" magnopere est in usu Varronis (tricies exstat in r. r. et de l. l. libris); verborum autem coniunctio „alii aliquot" admissa est etiam r. r. II, 11, 4 (cf. similiter l. l. VIII, 21: „alius aliquis"; ibid. 41: „aliqua res alia"; IX, 47 et 78: „aliquis alius").

c) Denique hoc loco commemoremus oportet *peritus de,* quae structura ex vulgari dicendi genere certe assumpta r. r. I, 2, 10 invenitur: „qui de agricultura Romanus peritissimus

existimatur". Hoc autem est unum in litteris latinis huius constructionis exemplum; similiter dicitur „prudens de" (Sall. or. ad Caes. 1), „conscius de" (Cic. ad Att. II, 24, 3), „nescius de" (Ov. her. 16, 140). Contra „peritus" cum genit. legitur Varr. r. r. I, 17, 4; II, 4, 11; 7, 15.

§ 30. Interdum „de" praep. apud Varronem ita usurpatur, ut verbum dicendi, e quo ea pendeat, omnino non exstet. Sed cavendum est, ne verbi dicendi ellipsim opinemur statuendam esse; potius „de" positum est, quod subest eius rei notio, de qua agitur. Notissimae sunt hae locutiones: l. l. V, 95: „haec de hominibus"; IX, 25: „quid plura de astris?" — Rariora videntur haec: r. r. III, 4, 1: „volo de ornithone primum"; I, 23, 1: „quoniam habemus duo prima, de tertia parte exspecto" (cf. Plaut. Truc. prol. 16: „de argumento ne exspectetis fabulae"). Similiter I, 49, 1: „cum conticuisset nec interrogaretur, de nutricatu credens nihil desiderari, dicam, inquit, cett."

Eodem referendae sunt nonnullae formulae, quae sine dubio ex quadam dicendi brevitate ortae Varronis unius sunt propriae: *reliquum est de* r. r. II, 1, 11: „reliquum est de scientia pastorali". (Contra Cic. Cn. Pomp. 47 et 59: „reliquum est, ut dicamus de"; cf. Seyffert, schol. lat. I pag. 17). — *relinquitur de* r. r. II, 1, 24: „relinquitur nonum, quod dixi, de numero"; ibid. 2, 20: „relinquitur de numero, quem alii faciunt maiorem, alii minorem"; item ibid. 3, 9 et 6, 5; IX, 1: „relinquitur de quadrupedibus"; l. l. X, 30: „relinquitur de articulis, in quibus cett.". — *sequitur de* l. l. V, 184: „in proximo, ut in primo libro dixi, quod sequitur de temporibus, dicam". IX, 36: „quod sequitur de partibus singulis, deinceps expediemus". V, 95: „hic quod sequitur de pecore, haec". VIII, 80: „sequitur de nominibus". (Contra Cic. off. I, 27, 93: „sequitur, ut dicendum sit de"; cf. Seyffert l. l. I p. 15 sq.). — l. l. VIII, 63 cod. Florentinus praebet: „relinquitur de casibus". Sed L. Spengelius recte substituit „sequitur de casibus", cum etiam plures sequantur partes. — r. r. II, 9, 7: „sequitur quartum de emptione". Sic verisimili coniectura a Gesnero et Keilio recepta Jucundus scripsit pro corrupta codicum lectione „sed quod quarum de" (cf. imprimis

r. r. II, 1, 24). Contra reiciendum certe est, quod Schneiderus Pontederam secutus exhibet: „sed quod quartum de".

incipere de l. l. V, 14: „incipiam de locis ab ipsius loci origine". VIII, 1: „prima parte exposita de secunda incipiam hinc". r. r. III, 1, 10: „de quibus (sc. sermonibus) exponendis initium capiam hinc". (Ceterum de ellipsi verbi dicendi in huiusmodi formulis cogitandum non esse ex hoc potissimum loco apparet). Spengelius (edit. de l. l. praef. p. LXVII) ut formulam „incipiam hinc" Varronis propriam (cf. r. r. II, 1, 7; l. l. VI, 41; IX, 39) restitueret, contra codicum auctoritatem legi voluit r. r. III, 1, 10: „de quibus exp. initium faciam. incipiam hinc". Item de l. l. VIII, 1: „de secunda nunc dicam. incipiam hinc". Sed falso, ut videtur; id quidem, quod „hinc" et „de" cum eodem verbo coniuncta sunt, pro Varroniana dicendi libertate offensionem non habet (cf. l. l. V, 14: „incipiam — de — ab").

§ 31. Denique verba „admirari, cavere, queri" et substantiva „cura, spes" cum „de" praep. componuntur, ut res, de qua agitur, universe significetur. *admirari* r. r. II, 3, 5: „de quibus admirandum, quod cett." Item Cic. Mur. 19, 39; ad Att. 10, 17, 4 (cf. Madvig ad Cic. fin. I, 2, 4). — *cavere* r. r. II, 6, 3: „in mercando de sanitate et noxa solet caveri" (cf. Cic. inv. II, 41, 119). — *queri* r. r. I, 69, 3; S. M. p. 187, 13. — *cura* r. r. III, 17, 8: „non minor cura erat eius de aegrotis piscibus" (cf. Brut. in Cic. epist. ad fam.: „cura de salute mea"). — *spem* habere S. M. p. 131, 21.

§ 32. Loco adverbii locutio „de improviso" S. M. p. 135, 48 invenitur.

§ 33. Creberrime „de" pro genetivo partitivo positum est (cf. infra ex § 47).

a) Primum igitur pendet ex numeralibus:

α) ex cardinalibus: l. l. V, 1: „de his (libris) tris ante hunc feci"; VIII, 11. — *unus de* l. l. IX, 9: „lectum de tribus unum". Item a. r. d. XVI, 8.

β) ex ordinalibus: r. r. II, 1, 8: „de duodecim signis (scil. caelestibus) sextam partem" (cf. Vell. Pat. II, 82, 3: „de quibus pars quarta"). l. l. VIII, 2: „de quibus duo prima percurram. — de tribus tertium". Item r. r. I, 31, 2; l. l. VIII, 24.

γ) ex distributivo *singuli*: r. r. I, 5, 4: „de his quattuor generalibus partibus[1]) singulae minimum in binas dividuntur partes“.

b) „De“ coniungitur cum pronominibus iis, quae numeralium loco ponuntur: *alius* r. r. I, 7, 5: „de ceteris alius“. Item l. l. X, 71; 80. — *aliquis* l. l. IX, 77. — *qui* l. l. V, 46: „de Caelianis qui a suspicione liberi essent“. Item ibid. 33; X, 79; r. r. I, 17, 6. — *uter* l. l. X, 18. — *quidam* r. r. I, 41, 4. — *is* r. r. I, 3, 4: „de capris meliore seminae eae, quae cett.“; II, 3, 1. — *idem* l. l. IX, 5. — *nemo* r. r. II, 4, 2. — *perpauci* l. l. IX, 59. — *plerique* l. l. V, 75. — *solus* r. r. I, 19, 3.

c) „De“ additur α) comparativis: r. r. II, 5, 9: „de mediis duobus prior“; l. l. VI, 22: „de his prius“. — β) superlativis: r. r. II, 1, 6: „de antiquis inlustrissimus quisque pastor erat“. Item II, 8, 3; III, 16, 19. — *maxime* r. r. I, 25: „ceteras vites et de iis miscellas maxime convenire“. Item III, 9, 19. — *minime* l. l. VI, 42: „de his tribus minime putat volgus esse actionem cogitationem“.

d) „De“ ponitur in genere universe constituendo (cf. Hand II, 196): *esse de* r. r. I, 1, 8: „de philosophis sunt Democritus, Xenophon cett.“; ib. 1, 9: „de reliquis sunt Androtion, Aeschrion cett.“ l. l. IX, 100: „de infectis (est) Sum.“. Item Prop. III, 19, 14. — *esse de genere*: r. r. III, 5, 7: „de illo genere sunt turdi“. l. l. X, 27: „de eo genere est“. (Cf. „cetera de genere“ Lucr. IV, 462; 592; 766; V, 38; 165; Hor. sat I, 1. 13. Cicero dicere solet „eiusdem generis esse“ praeter Tusc. IV, 7, 16: „sunt de eodem genere“. Cf. etiam Ter, Ad. III, 3, 7: „de grege illo est“). De „esse ex genere“ cf. § 47 d. — Latissime autem patet is „de“ praepositionis usus, cum distributive posita est; est autem haec potissimum ratio Varronianae dicendi consuetudinis maxime propria neque diiudicari potest, utrum id huic ipsi an sermoni vulgari attribuendum sit. Exempla autem haec sunt: r. r. I, 9, 3: „de aliis generibus reliquis admixtae terrae“; ibid. 38, 1: „stercus optimum scribit esse Cassius volu-

---

[1]) „generalibus partibus“ certa coniectura Keilius scripsit pro falsa codicum lectione „generibus“. Nisus autem est loco r. r. II, 1, 12: „harum (partium) una quaeque in se generalis partis habet minimum novenas“.

crium. De hisce praestare columbinum“ (cf. Cic. ad Qu. fr. I, 1, 3: „de quibus praestat Tubero“); ibid. 59, 1: „de pomis conditiva, mala struthea — servari recte putant“; ibid. 60: „de olivitate oleas cett.“; III, 3, 4: „de his sex partibus ad ista tria genera artificum paranda, aucupes, venatores, piscatores“ [1]); III, 16, 23: „de iis (sc. materiae generibus) [2]) propolim vocant, e quo cett.“; l. l. V, 75: „de his (sc. mortalibus) animalia“; ibid. 119: „quibus comportatur fructus, de his fiscina a ferendo dicta“; ibid. 139: „de his, quae iumenta ducunt, tragula (sc. nominatur), quod cett.“; VIII, 13: „de his (sc. notionibns) cum nomen sit primum“; IX, 34: „de his duobus generibus (sc. analogiae) naturalem esse analogiam“; X, 15: „de his duabus partibus (scil. declinationis) voluntaria“. Item X, 70.

De ratione, quae apud Varronem inter genetivum partit. et praepositiones *de* et *ex* intercedit, cf. § 47 d.

C. Tertia pars.

De praepositione „ex“.

Caput I.

„Ex“ locali notione positum.

§ 34. Praepositio „ex“ quemlibet exitum ex aliqua re significans cum his verbis movendi coniungitur:

abigere r. r. II, 1, 16; *exigere* ibid.; *redigere* III, 1, 4. — *adferre* r. r. I, 8, 4; III, 9, 19; l. l. IX, 21; *auferre* l. l. V, 180; *efferre* l. l. V, 60; VI, 76: „quod ex ore elatum est“ (contra IX, 76: „pleraque efferuntur ore“, cf. Draeger I, 510); *transferre ex*: r. r. I, 35, 2; *ex* — *in*: I, 39, 3; 40, 5; III, 16, 21; contra I, 40, 4 „transferre *de*“. — *adportare* r. r. II, 4, 10 (*e* Gallia Romam; III, 14, 4: „adportare de“, cf. § 22 d); *exportare*:

---

[1]) Keilius verba „totidem genera“ inter verba „gen.“ et „artif.“ inserenda esse, opinor, recte suspicatur.

[2]) Cf. Zahlfeldt. l. l. p. 24, qui ante haec verba aliquid excidisse iure existimat.

r. r. II, 1, 6; 5, 5; l. l. V, 32. — *advehere* r. r. II pr. 6; *evehere* I, 13, 4. — *cadere* I, 27, 2. — *descendere* r. r. II, 1, 4 („ex hac vita in pastoriciam"; de „descendere ab — ad; de" cf. § 23); *escendere* I, 8, 7. — *ducere* r. r. I, 4, 4; *educere*: I, 2, 9; III, 10, 5; 17, 7. — *eicere*: r. r. I, 31, 3; S. M. pag. 238, 3 (contra v. p. R. I, 19: „eicere extra", cf. Draeg. I, 511); *traicere* III, 16, 21. — *erepere* r. r. III, 15, 1. — *evadere* r. r. III, 16, 36. — *evolare* r. r. III, 17, 1; ibid. 7, 6: „quae (sc. columbae) fetae sunt, certum locum ut disclusum ab aliis rete habeat, quo transferantur, e quo[1]) foras [ex peristerone] evolare possint matres"[2]). Contra III, 9, 15: „evolare extra". — *fluere* r. r. III, 5, 16. — *fugere* l. l. V, 144. — *ire* r. r. III, 2, 15; *exire* I, 14, 2; 31, 2; 45, 1; III, 5, 2; 7, 1; (contra „exire de" I, 16, 5; „exire extra" II, 1, 25). Locus r. r. II, 4, 1 („quis e portu post Italico prodit ac de suillo pecore expedit?") multis coniecturis temptatus est, id tamen sine iusta causa; comparatur enim certe disputatio cum navigatione. *redire* r. r. II, 2, 13; 5, 16; I, 13, 3; 44, 1; *transire* I, 40, 5; III, 5, 9; l. l. VIII, 42; IX, 71; X, 77. (Contra „transitus de" VIII, 39; X, 52). — *mittere* r. r. III, 7, 7; *demittere* II, 1, 23; *emittere* S. M. p. 183, 1. — *proficisci* r. r. I, 1, 1; l. l. V, 47. — *remeare* r. r. III, 5, 7. — *succedere* r. r. III, 2, 4; l. l. V, 124; *excedere* VII, 53. — *venire* r. r. I, 1, 5; 14, 2; II, 1, 10; 11, 12; III, 1, 6.

b) Praep. „ex" pendet e substantivo „decessus" et adiectivo „translaticius"; valet enim in his notio verbalis: l. l. VI, 18: „decessus Gallorum ex urbe". VI, 64: „dicimus 'disserit' translaticio ex agris verbo"[3]).

c) Terrarum nominibus „ex" uno loco excepto (r. r. III, 14, 4: „de Illyrico", cf. supra § 22 e) semper additur: r. r. II pr. 3; 1, 6; 1, 16; 4, 40; 5, 3; 5, 5; 6, 2; 6, 5; 11, 10; III, 5, 7; 9, 19; 14, 4; l. l. V, 32. — De urbium nominibus vide supra § 1 et § 22 f; de voce „domus" § 4.

---

[1]) „et quo" falso Merula.

[2]) „evolare" coniecit Ursinus comprobavitque Keilius (obs. critt. p. 54 sq.) pro codicum scriptura „evocare"; verba „ex peristerone" ut interpolata recte delevit Keilius (l. l.).

[3]) „translaticio" debetur Laeto (cf. VI, 78); cod. Florent.: „translatio atque".

§ 35. Accedunt verba capiendi et sumendi:

capere: r. r. III, 3, 5; l. l. V, 155: „ex hostibus capta" (i. e. „ex hostium terra", cf. Liv. II, 42; de „capere ab aliquo" cf. § 11); l. l. VIII, 31; r. r. III, 16, 1; aliis locis. *excipere* III, 12, 5; l. l. IX, 33. — *carpere* r. r. III, 16, 24; 25. — *demere* r. r. I, 39, 3; 18, 5; l. l. VII, 1; („demere de" I, 18, 5 cf. § 22 a). — *discutere* I, 52, 1; *excutere* ibid. — *excudere* r. r. III, 6, 4: „ova (sc. pavonina) supponit gallinis, ex quibus [ex iis] excusos pullos refert" [1]). — *effodere* r. r. I, 2, 9. — *emere* r. r. II, 6, 2: „eos ex Arcadia emebant". Item I, 20, 2; II, 10, 4: „e praeda (hoc) emit" (itaque „ex" locis, unde quid emitur, addi solet; cf. Cic. Sest. 64, 134; Liv. 32, 26, 6. De hominibus dicitur „emere ab", cf. § 11). Item *vendere* r. r. III, 2, 17: „e piscinis vendidit pisces". — *eruere* Logist. p. 252, 3: „cum aratrum eruisset ex terra libros". l. l. V, 108 cod. Florentinus exhibet: „— olera. e quis ad coquendum quod e terrae rure, ruapa, unde rapa". Pro corrupta lectione „e terrae rure" Turnebus, quem Muellerus sequitur, legit „e terra erueretur". Sed quid coniunctivus hoc loco sibi velit, non intellego. Quod autem A. Spengelius scripsit „e terra ruitur", nimis longe a codicis scriptura recedit. Assentior L. Spengelio „e terra eruerunt" coicienti, sed ut ad Florentinum propius accedamus, breviatam perfecti formam „eruere" recipiendam esse censeo. Nec enim ab huius aetatis (cf. Kühner I, 437, 2) nec a Varronis ipsius loquendi usu haec forma abhorret (cf. r. r. II, 1, 9: „condidere urbem"). — *exprimere* r. r. I, 64; v. p. R. I, 34 d. (Contra „exprimere c. ablat." v. p. R. I, 34, cf. Draeger I, 514). — *expurgare* r. r. I, 30: „segetes runcari id est herbam a segetibus expurgari" [2]). — *legere* l. l. VI, 66; *colligere* r. r. II, 1, 4; *eligere* III, 9, 4. — *petere* l. l. VI, 25. — *scindere* r. r. I, 32, 1. — *sumere* I, 22, 2; III, 5, 5. — *terere* l. l. V, 106; *exterere* r. r. I, 52, 2; l. l. VII, 97. — *tollere* II pr. 5.

---

[1]) Recte Keilius (obs. critt. p. 54) Ursinum secutus verba „ex iis" glossema esse iudicat reicitque Gesneri inanem horum verborum defensionem.

[2]) Iure Keilius (ind. lect. Hal. aest. 1884, p. VI) verba „herbam e segetibus expurgari" contra Ursinum ac recentes Varronis editores ita defendit, ut voces explicativas „id est" insereret.

b) r. r. I, 11, 2: „si aqua non est viva, cisternae faciendae sunt sub tectis et lacus sub dio, ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti posset". „Uti" igitur ut verbum capiendi usurpatum cum „ex" praep. coniunctum est; est autem locus eo magis memorabilis, quod, ut persaepe apud Varronem, verbum hic sine obiecto positum est.

c) Singulare est „excantare ex" S. M. p. 133, 37: „ubi vident se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt"; exspectaveris enim „ab" praepositionem.

d) Cum neglegentia quadam dicendi certe ex familiari consuetudine orta saepius Varro uni verbo bis eandem praepositionem addit; „ex" praepositionis exempla sunt: r. r. III, 9, 20: „ex ils (sc. gallinis) evulsis ex alis pinnis et e cauda"; ibid. 2, 13: „ex iis pastionibus ex una villa maioris fructus capere". Iniuria igitur r. r. III, 2, 14 (ex quibus rebus [sc. anseribus, gallinis cett.] plus quinquagena milia e villa capere) Ursinus verba „e villa" delevit.

e) Id quoque cotidiani sermonis proprium est, quod interdum „ex" cum substantivo coniunctum attributive positum est: r. r. I, 41, 5: „ex terra surculos obruere". II, 4, 3: „cum succidiam in carnario suspenderit potius a lanario quam e domestico fundo"; ibid. pr. 3: „navibus vindemiam condimus ex insula Coa"; III, 3, 9: „e tuo flumine lupum". l. l. VI, 54: „ex mercibus libamenta".

§ 36. Locus, unde quid agitur, „ex" praepositione in his exemplis designatur: r. r. I, 55, 1: „oleam e terra ac scalis legere"; 52, 2: „(spica) oportet e terra subiectari"; III, 13, 1: „cum ex superiore loco effunderetur glas". Item l. l. V, 149 (de praep. „de" hoc modo adhibita vide § 24).

Sic dicitur „eminere ex" r. r. I, 48, 1 et „eloqui ex" l. l. VI, 57: „e cella dei qui eloquuntur"[1]).

Accedit formula „e medio" r. r. I, 51, 1: „omne brevissimum e medio ad extremum". Item III, 5, 12; l. l. V, 115.

Eodem referendum est „pendere ex" r. r. III, 16, 29: „(apes) aliae ex aliis pendent" (cf. Hand II, 620). Plerumque Varro „pendere in" dicit: r. r. I, 8, 6; bis I, 59, 3; S. M. pag. 106 V

---

[1]) L. Spengel: „quei loquuntur"; A. Spengel: „qui deloquuntur".

(cf. Cic. Verr. III, 23; Liv. V, 54, 2); ablativus legitur S. M. pag. 109, 16.

Saepissime vero hic usus in formula *ex parte* exstat: l. l. X, 84: „faba et id genus, quae et ex parte et universa nominamus. — ex *omni* parte r. r. III, 7, 4; l. l. V, 140. ex *omnibus* partibus r. r. I, 7, 4. — ex *aliqua* parte l. l. V, 77. — ex *altera* parte r. r. I, 31, 4. — ex *duabus* partibus III, 5, 10. — ex *quadam* parte r. r. III, 12, 6; l. l. X, 74; 76. — ex *una* parte r. r. I, 40, 6; l. l. V, 111. — ex *utraque* parte l. l. VIII, 41; IX, 4. Item legendum est l. l. V, 145, ubi cod. Flor. praebet: „vici a via (sc. nominantur), quod dextraqui parte viae sunt aedificia". Spengelius vulgata lectione recepta scripsit „ex utraque parte", id quod ad codicis scripturam propius accedit quam Muelleri coniectura: „laeva dextraque parte". Accedit, quod Varro sic, ut Muellerus vult, nusquam, sed ubique „dextra et sinistra" scripsit (cf. § 9 c). — r. r. I, 12, 3: „vitandum, ne in eam partem spectet villa, e quibus [ex iis partibus] ventus gravior adflare soleat". Keilius (obs. critt. p. 54) verba „ex iis partibus" iure eiecit.

Ceterum quantopere haec verborum coniunctio („ex parte") in Varronianam dicendi consuetudinem transierit, optime ex his duobus locis cognoscitur: r. r. I, 13, 5: „aedificium *ex* una parte apertum et id *ab* area"; l. l. IX, 40: „rogant, *ex* qua parte oporteat simile esse verbum, *a* voce an *a* significatione". Bis tantum „*ab* parte" invenitur, l. l. VII, 43; r. r. I, 24, 3 (cf. § 9 c); quater ablativus legitur: r. r. II, 6, 2 (omnibus partibus); III, 12, 15 (superiore parte); l. l. IX, 24 (contraria parte); X, 37 (aliqua parte); accusativus exstat r. r. I, 17, 7 (magnam partem).

Caput II.

„Ex" temporali notione positum.

§ 37. Temporalis praepositionis „ex" ita, ut apud priscos scriptores (cf. Holtze l. l. I p. 103), rarissime exstat (cf. supra „ab" cap. II); inveniuntur hi tantum loci: a. r. d. II frg. 2: „*ex quo* de Troia est egressus Aeneas"; ibid. I fr. 6: „dii — *ex quonam tempore* an *a* sempiterno fuerint" (cf. § 13). — Accedit

formula „ex a. d.“, quae reperitur r. r. I, 28, 1 et 2: „ex a. d. id. Febr. cett.“

S. M. p. 102, VII: „lacte e papilla cum fluit, signum putant partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor“. Sic Nonii codices praebent; Carrio (emendatt. II, 16) „a partu“ propterea, ut videtur, correxit, quod hoc sensu apud Varronem semper, apud ceteros scriptores plerumque „ab“ adhibitum est (cf. supra § 12). Sed comprobatur „ex“ maxime loco Cels. II, 8, ubi item „mulier ex partu“ legitur. Quamquam fortasse in praepositione Varronis loco non temporalem, sed causalem notionem inesse putandum est.

r. r. III, 16, 37 Varro de apibus gravi tempestate oppressis ac perculsis hoc praeceptum tradit: „conligendum eas in vas aliquod et reponendum in tecto loco, promum e die quam maxime tempestate bona cinere facto — infriandum“. Sic *A* et *P* exhibent; coniecturarum, quibus viri docti verba „promum e die“ emendare studuerunt, maxime mihi probatur Keilii: „proximo die“.

Caput III.

„Ex“ notione translata positum.

§ 38. Praep. „ex“ rerum hominumque originem indicans saepissime a Varrone usurpata est. Ex ipso substantivo „*origo*“ pendet l. l. V, 3: „(non) omnis origo nostrae linguae est e vernaculis verbis“. — Deinde coniungitur cum iis verbis, quae originis notionem continent:

nasci. *α*) „ex“ additur verbi finiti formis, r. r. I, 2, 9: „e radicibus quae nascerentur“. Item I, 8, 2; 9, 7; 23, 1; 27, 3; 40, 2; II pr. 5; l. l. IX, 34. — r. r. III, 16, 4: „apes nascuntur ex apibus“. Item II, 5, 5; l. l. IX, 28: „quod ex quocunque asino et equa nascitur, id est mulus“. *β*) „ex“ iungitur participio *natus* r. r. I, 31, 2: „e sarmento coles qui nati sunt“. Item II, 1, 19; ibid. 2, 14: „neque natum ex his (sc. ovibus) idoneum est“; l. l. VIII, 42: „qui ex his (sc. Menaechmis) sint nati“. Item V, 42; X, 69; S. M. p. 127, 14: „homines ex terra natos“. — Contra ablativus exstat r. r. I, 2, 23 (quod terra sit natum); II, 3, 7 et I, 2, 17 (capra natum). — Accedit II, 8, 3: „qui seminio

natus sit bono", cf. Cic. Verr. V, 70, 180: „nobili genere nati". Apud Ciceronem aliosque et ex verbi finiti formis et ex participio plerumque ablativus pendet (cf. Kühner II, 1 p. 277). — *enasci* r. r. I, 27, 2; 41, 4; 41, 6; II, 9, 3. — *oriri* l. l. X, 16: „declinatio verborum oritur e populo"; r. r. II, 5, 9: „qui ex his bubus orti sunt". Item Sall. Jug. 5, 7. (Contra ablativus invenitur r. r. III, 2, 2: „consulari familia ortus", cf. Cic. l. agr. I, 9, 27: „equestri ortum loco"). — De praep. „ab" cum verbis „nasci" et „oriri" coniuncta cf. supra § 14. — Neglegenter „ex" duobus r. r. librorum locis per se ita positum est, ut participium aliquod, ut „natus" vel „ortus" omittatur: II, 2, 18: „quos arietes summittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quae cett." II, 3, 4: „de capris quod meliore semine eae, quae bis pariant, ex his potissimum mares solent summitti".

concipere r. r. II, 8, 3: „quae ex eo (sc. minore natu) concipiuntur cett."; II, 1, 19. — *declinare* l. l. VI, 2: „verba ex verbis declinari scribunt". Item VIII, 7; IX, 49; 50; 61 („declinare *ab*" vide § 14); *declinatio* l. l. X, 12. — *parere* l. l. VIII, 9; *partus* IX, 29. — *prodere* IX, 37. — *procreare* r. r. II, 6, 1; l. l. IX, 28. — *progenerare* l. l. IX, 28.

b) Eodem modo dicitur „esse, facere, fieri *ex*": *esse* r. r. II, 8, 6: „hinnus est ex equo et asina". r. r. II, 1, 15: „in emptione alias stipulandum sanum esse (sc. pecus), alias e sano pecore, alias neutrum"[1]). II, 9, 6: „interest ex semine esse canes eodem". Item I, 1, 11; l. l. V, 68; a. r. d. I, 5; 6. — *facere, fieri* r. r. I, 7, 2: „ex arvo bonum faciebant vinum". II, 8, 1: „ex equa et asino fit mulus". III, 7, 2; l. l. VI, 38; VIII, 36; IX, 50; 55; X, 44, 71.

c) Idem est usus r. r. I, 17, 5: „habeant coniunctas servas, e quibus habeant filios".

d) Cum terrarum nominibus coniunctum „ex" in his exemplis nominis gentilis vicem obtinet: r. r. II, 3, 4: „ex insula Media capras". III, 16, 10: „se habuisse fratres Veianos ex agro Falisco". l. l. V, 53: „aborigines ex agro Reatino"; ibid.

[1]) Ursinus et Keilius (ind. lect. Hal. hiem. 1883/84 p. VI) de hoc loco bene meruerunt, ille „sanum" pro „statim", codicum lectione, ponens, hic „neutrum" pro „e neutro" coiciens.

76: „ex Attica Progne“; ibid. 159: „obsides ex Africa“. — r. r. II, 6, 2: „mares bona aetate sumat, firmos, corpore amplo, ex his locis, unde cett.“ — Exempla huius usus ab aliis scriptoribus petita satis multa afferunt Hand II, 618: Draeger I, 634; Drakenb. ad Liv. 35, 32, 4. — De praepositione „ab“ sic adhibita cf. § 14 c.

§ 39. Ut etymologicam originem indicet, „ex“ cum verbis „dicere“ et „nominare“, quamvis multo rarius quam „ab“ (cf. § 15), his locis coniungitur: r. r. II, 1, 7: „boves be alare vocem efferentes, e quo post balare dicunt“. l. l. V, 109: „elixum e liquore aquae dictum“. Item VI, 43; VII, 50; 54; X, 16. Cf. Plin. h. n. 11, 37, 45. — *nominare* l. l. VI, 43: „e lacte coacto caseus nominatus“; cf. item Cic. rep. II, 7; n. d. V, 20, 51.

§ 40. „Ex“ materiam, ex qua quid factum est, significans his verbis additur: *comparare* r. r. II, 3, 2: „(grex) ex collectis comparatus“. — *coniungere* r. r. III, 4, 3; 17, 3; l. l. V, 88. — *constare* l. l. V, 110; VI, 39; IX, 3; X, 3; 25. — *copulare* l. l. V, 88. — *esse* r. r. I, 42, 2: „saeps est e ligno“; 55, 5; l. l. V, 117; 166; 174; VI, 63; VIII, 32; IX, 3; 29; 54; 83. — *facere, fieri* r. r. I, 14, 4; 22, 1; aliis permultis locis. r. r. I, 14, 2: „saeps — fit *aut* palis statutis crebris e virgultis inplicatis aut latis perforatis *aut* ex arboribus — constitutis cett.“ Sic P*AB* exhibent; fortasse „e“ praepositione transposita legendum est: „e palis statutis crebris virgultis cett.“ Nam verba „aut — perforatis“ et „ex arboribus — constitutis“ inter se sunt opposita, sed „ex“ praep. in altero enuntiati membro adhibita in priore deest, cum „e“ ante verbum „virgultis“ abundet. — De praep. „de“ cum verbo „fieri“ coniuncta cf. § 26. — Ablativus duobus locis invenitur: r. r. II, 2, 19; l. l. VIII, 32 („eadem materia fiunt“). — *fingere* r. r. III, 16, 24; l. l. VIII, 40. — *glomerare* r. r. III, 5, 4. — *miscere* l. l. X, 35: „ratio tertia ex utroque miscetur genere“. Item Liv. 22, 43.

Cotidianum dicendi genus exhibet, ut videtur, hoc exemplum: l. l. V, 147: „domus (eius), cui cognomen fuit Macellus, publice diruta, e qua aedificatum hoc, quod ab eo vocetur macellum“; „e qua“ enim breviter dictum est pro „e cuius materia“.

b) Inde etiam intellegendum est „vivere ex“ r. r. II, 1, 3:

„cum viverent homines ex iis rebus". Haec quidem constructio semel praeterea, quantum scio, legitur, Ovid. met. I, 549: „vivitur ex rapto". Varro ceteris locis ablativo utitur, ut r. r. I, 2, 14; III, 16, 28.

Hinc defendi videtur „pasci ex" r. r. III, 17, 6: „pasci e piscinis". Sic cod. Flor. f praebet; cod. Paris. A: „pasce piscinis", quae verba certe ex „pasci e piscinis" corrupta sunt. Falso igitur editores praeter Keilium omnes „pasci piscinis" legerunt.

c) „Quod cum aliqua re commixtum sumitur vel datur cum hac re, dicunt Latini ex ea re dari vel sumi". Verba sunt Handii (II, 633); materia igitur, ex qua quid sumptum datur, „ex" praepositione in his exemplis Varronianis designatur: r. r. II, 4, 21: „porcis dari oportet hordeum ex aqua". III, 9, 20: „(gallinas) farciunt semine lini ex aqua dulci". III, 10, 6: „pullis adponitur nasturtium viride consectum ex aqua in vas aliquod". III, 11, 3; „pabulum iis datur ex aqua cammari". l. l. V, 104: frumentum ad exta ollicoqua solet addi ex mola id est ex sale et farre molito". ibid. 109: „hanc (carnem) e iure uti". — Item verisimilem Keilii coniecturam secutus lego III, 9, 13: „obiciendum — polentam mixtam cum nasturti semine *ex aqua* aliquanto ante facta intrita". In codicibus scriptum est „*et* aqua". — Per se verisimile est hunc usum pro dicendi neglegentia ac brevitate, quae in eo apparet, magna ex cotidiano sermone petitum esse; et confirmatur haec sententia exemplis ab Handio et Draegero (I, 636) allatis: invenitur enim haec loquendi ratio ante Varronis aetatem apud Plautum, Terentium, Catonem, post Varronem apud Plinium et Celsum.

§ 41. Item ad cotidianam dicendi consuetudinem pertinet, quod saepissime apud Varronem haec praepositio cum substantivo materiam significante coniuncta attributive usurpata est, ut r. r. I, 8, 4: „palus e pertica"; 8, 6; II, 2, 14: „fiscellas e iunco aliave qua re"; ibid. 9, 15; III, 5, 13: „columnas exteriores *lapideas* et interiores *ex abiete*". Item III, 10, 4; 12, 3; l. l. V, 116 ter; VII, 1; 24; IX, 47; S. M. p. 194, 42; v. p. R. II, 16.

Paullo liberior is usus his tribus locis est: r. r. I, 7, 8: „ubi — ex quibusdam lignis combustis carbonibus pro eo (sale)

uterentur" (i. e. carbones, qui parantur ex combustis lignis). I, 57, 1: „argilla mixta acere e frumento". II, 9, 10: „dant ius ex ossibus" (i. e. ex ossibus factum).

§ 42. Ut omnino (cf. Draeger I, 635), sic apud Varronem „ex" ponitur, ut aliquid mutatum esse ex aliquo statu significetur; pendet autem semper fere ex verbis „facere" vel „fieri", ut r. r. II, 6, 3: „e fero fit mansuetus"; II pr. 4: „e segetibus fecit prata". Item l. l. V, 81; VII, 27; IX, 9; 17; S. M. p. 216, 10; v. p. R. II, 12. (De praep. „de" semel hoc modo adhibita cf. § 26.)

l. l. VII, 94 cum L. Spengelio legendum est: „clapere, unde clepere E ex A commutato" (cod. Flor.: „et ex ea commutatio"). „Commutare ex" semel praeterea inveni: Cic. fat. IX, 17 („commutari e veris in falsa ea").

Eadem est praepositionis ratio r. r. II, 4, 21: „(verres castrati) nomen mutant atque e verribus dicuntur maiales". Similiter Plaut. Pseud. I, 2, 58: „civitas me ut praedicet ex lenone regem".

§ 43. Pervulgatus etiam est „ex" praepositionis usus, cum causam significat, propter quam quid fit vel qua quis motus aliquid facit, ut r. r. I, 1, 3: „desideramus, quid faciendum sit ex aliquo portento"; ibid. I, 15: „ne limites ex litibus iudicem quaerant"; ibid. 27, 3: „e labore febrem habent"[1]). Item II, 11, 9; III, 3, 8; l. l. V, 25; 28; 144; VI, 15; IX, 113; X, 11.

Sic dicuntur formulae „ex eo" r. r. I, 17, 5; l. l. V, 163 („aes raudium dictum: ex eo veteribus in mancipiis scriptum cett.") et „e quibus" r. r. II pr. 6.

Attributive „ex" positum est r. r. II, 7, 12: „e motu audire crepitus" (i. e. crepitus, qui fiunt e motu).

r. r. I, 2, 23, ubi in codicibus scriptum est: „quod nec satione terra sit natum ad fruendum", in incerto puto relinquendum esse, utrum Victorium secuti „nec" haud dubie falsum in „ex" mutemus an omnino deleamus.

§ 44. Causa, quae ab animi impulsione ita oritur, ut ea adductus quis quid faciat, semel apud Varronem, nunquam, quod

[1]) Sic codd. A et B; Politianus neglegenter, puto, „e" omisit.

ego quidem sciam, apud alium quemquam scriptorem (cf. Hand II, 635 sqq.; Draeger II, 637; Kühner II, 1, 367) „ex“ praepositione indicatur r. r. II, 9, 6: „canes e desiderio hominum ad pastores redierunt“. Videtur autem hic quoque usus ex vulgari sermone assumptus esse.

§ 45. „Ex“ modum designans vim habet praepositionis „secundum“ his locis: r. r. II pr. 6: „de re pecuaria percurram ex sermonibus nostris conlatis cum iis cett.“ l. l. VI, 74; IX, 79: „ostendunt — obliquos casus non habere caput ex sua analogia“. — Hinc ortae sunt formulae: *ex senatus consulto* (ex S. C.) l. l. V, 148 et 150. — *ex praecepto* r. r. I, 18, 5. — *ex empto vendito* r. r. II, 2, 6. — *ex observatu* II, 7, 3. — *ex sponsu* l. l. VI, 72. — *ex instituto* r. r. II, 1, 9; l. l. X, 27.

§ 46. Causali notione „ex“ cum verbis intellegendi, perspiciendi, aliis id genus iungitur: *animadvertere* r. r. II, 2, 4: „id fieri ex duabus rebus potest animadverti“. I, 1, 7; II, 4, 13; 11, 9. — *apparere*: l. l. V, 52; VI, 93; VIII, 3; 42; X, 28. — *cognoscere* r. r. II, 8, 6. — *colligere* r. r. III, 2, 10. — *coniectare* r. r. II, 7, 5. — *coniecturam facere* r. r. I, 17, 3. — *dicere* r. r. I, 46: „ex quibusdam foliis propter eorum versuram, quod sit anni tempus, ut dici possit“. — *intellegere*: r. r. I, 56; l. l. IX, 44; X, 28. — *observare* r. r. III, 9, 20. — *ostendere* l. l. X, 50. — *perspicere* X, 58. — *scire* IX, 96: „ex quo licet scire“; X, 29; a. r. d. I, 16. — *signum sumere*: r. r. I, 9, 7; III, 16, 32. — *spectare* l. l. IX, 43. — *videre*: r. r. I, 7, 3: „hoc licet videre ex aliquot rebus“; l. l. VI, 67; VII, 93; VIII, 57; IX, 47; X, 59.

§ 47. Ut praep. „de“ (cf. § 33), sic „ex“ pro partitivo genetivo tam saepe ponitur, ut dubitari nequeat, quin aliquid, quod Varroniani sermonis proprium sit, eo usu contineatur. — Sed primum ea exempla affero, quae vulgarem consuetudinem exhibent:

a) „ex“ iungitur cum numeralibus: *α*) cum cardinalibus: r. r. III, 1, 9: „e quis (libris) duo scripsi“. Item „duo ex“ l. l. V, 51; VII, 46. VII, 109: „e quis (libris) tris scripsi“. X, 11: „e quis unum“ (contra VII, 17: „*in* his unus“). — *β*) cum ordinalibus: r. r. I, 5, 3: „e quis (partibus) prima“. Item I, 16, 2; l. l. V, 45. r. r. I, 18, 5: „e quo quom sexta pars sunt

ea". d. o. mar. frg. 8: „quartus e magnis Europae sinus". — γ) cum distribut. singuli: S. M. pag. 191, 1: „e quibus (viis) singulae".

b) „Ex" iungitur pronominibus iis, quae numeralium loco ponuntur: *alter* r. r. II, 1, 14: „e quattuor altera pars". — *alius*: r. r. II, 7, 15; l. l. VIII, 80; X, 64. — *multi* r. r. II, 1, 5. — *nonnulli* l. l. V, 75. — *qui* l. l. VI, 40: „e quis quae poterimus (dicemus)"; VIII, 59. — *quis* l. l. VI, 1; IX, 19.

c) Semel „ex" sensu partitivo ex superlativo pendet: r. r. I, 6, 2: „*e quibus* tribus fastigiis *infimis* alia cultura aptior quam summis".

d) „Ex" adhibetur ad genus universum constituendum (cf. supra § 33): *esse ex genere* l. l. IX, 103: „ex alieno genere sit". Item X, 29: „casus ex hoc genere sunt". Memorabile est exemplum X, 8: „*in* virili genere est lepus, *ex* neutro nemus". (De „esse *de* genere" cf. supra § 33 d).

Singulare aliquid habet Varroniana consuetudo in eo, quod „ex" cum magna dicendi neglegentia persaepe distributive ita est positum, ut aliquid in aliquo genere esse indicetur (cf. „de" § 33 d): r. r. I, 2, 19: „ut ex caprino genere hostia adduceretur"; ibid. 9, 3: „admixta ex iis generibus aliqua re". II, 2, 2: „e feris pecudibus dicis oves comprehensas"; 7, 1. III, 6, 2: „huic (pavoni) natura formae e volucribus dedit palmam"; 9, 3. l. l. V, 41: „e quis (montibus) Capitolinus"; V, 78: „ἀμφίβια, e quis rana"; V, 108; VII, 74: „e quis (bubus) dicti valentes glebarii". VIII, 45; 57; VII, 109; X, 37.

Sic dicitur l. l. IX, 114: „e populo homines"; X, 74: „omnes singuli e populo".

Nomen, quocum „ex" coniungatur, omissum est r. r. II, 1, 20: „e quis (agnis, haedis, porcis), quoniam puri sunt, ad sacrificium ut immolentur, olim appellati sacres". — l. l. V, 86: „ex his mittebantur, qui res repeterent". (Cf. „de" § 33 d fin.).

Interdum Varro duo substantiva praepositione „ex" laxius conectit, cum artior genetivi coniunctio exspectetur, ut r. r. II, 4, 16: „dari solent vinacea ac scopi ex uvis"; l. l. VI, 18: „e caprifico adhibent virgam".

Denique huc referendum est „reliquum esse ex" (Hand II, 625, 22): r. r. III, 1, 5: „eos solos reliquos esse ex stirpe Sa-

turni regis" (cf. Cic. fam. 13, 39); l. l. V, 175: „reliquum (scil. dicitur), quod ex eo, quod debitum, reliquum".

Sequuntur tabellae, in quibus exempla usus praepositionum „de" et „ex" partitivi cum exemplis genetivi partitivi comparata unum sub conspectum subiciam:

I. Comparativi et superlativi:

de	*ex*	genit. partit.
r. r. I, 25; II, 1, 6; 5, 9; 8, 3; III, 9, 19; 16, 19; l. l. VI, 22; 42.	r. r. I, 6, 21.	r. r. II, 11, 1; l. l. VI, 42.
8	1	2

II. Numeralia.

	de	*ex*	genit. partit.
Cardinal.	l. l. V, 1; VIII, 11.	r. r. III, 1, 9; l. l. V, 51; VII, 109; X, 46.	r. r. II, 11, 12.
unus.	l. l. IX, 9; a. r. d. 16, 8.	l. l. X, 11.	r. r. I, 1, 6; 16, 4; II, 1, 28; S. M. p. 135, 1.
Ordinal.	r. r. I, 31, 2; II, 1, 8; l. l. VIII, 2 (bis); VIII, 24.	I, 5, 3; 16, 2; 18, 5; l. l. V, 45; d. o. m. frg. 8.	l. l. VII, 109; X, 74; d. o. m. frg. 21.
singuli	r. r. I, 5, 4.	S. M. p. 191, 1.	l. l. V, 84.
summa	10	11	9

III. Pronomina.

	de	*ex*	genit. partit.
nonnulli	—	l. l. V, 75.	r. r. I, 22, 5.
multi	—	r. r. II, 1, 5.	—
perpauci	l. l. IX, 59.	—	—
plerique	l. l. V, 75.	—	—
unusquisque	—	—	r. r. I, 14, 1; 28, 1; II, 1, 12; l. l. IX, 109; ibd. 113; X, 36.
uterque	—	—	II, 8, 2; 9, 6; 10, 1; 10, 11; l. l. X, 28.

	de	ex	genit. partit.
uter	l. l. X, 18.	—	—
alter	—	r. r. II, 1, 4.	r. r. III, 16, 2; l. l. VIII, 3; a. r. d. 15, 6.
alteruter	—	—	r. r. I, 2, 8.
neuter	—	—	r. r. I, 18, 2; 19, 1.
nemo	r. r. II, 4, 2.	—	—
nullus	—	—	r. r. III, 16, 16; l. l. VIII, 53; IX, 55; X, 64.
aliquis	l. l. IX, 77.	—	—
quis	—	l. l. VI, 1; IX, 19.	r. r. I, 22, 1; 27, 2. 41, 3; 54, 2; l. l. VII, 56; IX, 10.
quis?	—	—	r. r. III, 17, 3.
qui	r. r. I, 17, 6; l. l. V, 33; 46; X, 79.	l. l. VI, 40; VIII, 59.	l. l. X, 72; 74.
quidam	r. r. I, 41, 4.	—	—
quisquam	—	—	r. r. II, 9, 6; l. l. IX, 65
is	r. r. II, 3, 1; 3, 4.	—	—
idem	l. l. IX, 5.	—	—
solus	r. r. I, 19, 3.	—	—
alius	r. r. I, 7, 5; l. l. X, 71; X, 80.	r. r. II, 7, 15; l. l. VIII, 80; X, 64.	l. l. IX, 4.
summa	17	10	34

Caput IV.

De formis praepositionis „ex", „e", „ec".

§ 48. I. Ante vocales et „h" semper „ex" positum est.

II. „Ec" duobus locis coniectura restitutum est: S. M. p. 144, 1 (Non. 325, 14): „ec theatro"[1]); S. M. p. 208, 7 (Non. 334, 15): „vocasse ec liquida vita"[2]).

[1]) Sic Ribbeckius, com. latt. p. XII; „*et* theatro" codd. HLW.

[2]) Sic Vahlenus, anal. Non. p. 36; cod. W: „vocasse *et*"; cod. L: „vocas sedet".

III. Ante litteras consonantes:

	e r. r.	*e* l. l.	*ex* r. r.	*ex* l. l.	*e* summa	*ex* summa
			1. consonae labiales.			
b	2	1	2	1	3	3
p	8	4	15	8	12	23
f	6	1	13	1	7	14
m	4	2	6	7	6	13
v	4	3	11	5	7	16
			2. consonae gutturales.			
c	5	7	11	2	12	13
g	—	3	4	—	3	4
q	9	19	20	12	28	32
			3. consonae dentales.			
d	5	—	3	11	5	14
t	4	4	12	8	8	20
s	13	8	10	15	21	25
n	1	1	1	5	2	6
j	—	1	1	2	1	3
			4. consonae linguales.			
l	1	6	10	3	7	13
r	2	1	4	6	3	10
summa	64	61	123	86	125	209

Adnotanda haec sunt:

„E quis“ scribitur: r. r. I, 5, 3; 16, 2; II pr. 6; 1, 20; 7, 1; III, 7, 1; 9, 3; 9, 4; l. l. V, 13; 41; 45; 51; 74; 78; 105; VII, 74; 109; VIII, 45; X, 11; 64; 71. — „e quibus“: r. r. I, 6, 2; 12, 3; 17, 5; 41, 4; l. l. VI, 40; VIII, 80; IX, 61. — „e quo“: r. r. I, 18, 3; II, 6, 1; III, 5, 16; 16, 23. — „ex quibus“: r. r. I, 1, 7; II, 2, 14; 6, 4; l. l. IX, 113; X, 25; 58. „ex quibusdam“: r. r. I, 7, 8; 46; III, 9, 20. „ex quo“: l. l. VII, 54; 93; IX, 40. „ex quodam“ l. l. IX, 3; „ex quocunque“ l. l. IX, 28. — r. r. I, 5, 3 „e quis“ lego (sic P*A*; „ex quibus“ *B*). „ex quis“ nunquam legitur; quare sequenda est r. r. III, 9, 3 lectio codicum

A et *B* „e quis" (*P* praebet „ex quis"); eisdem codicibus plus tribuo III, 16, 25 „e lapsano" exhibentibus (*P*: „ex lapsano").

Semper scribitur „ex se" r. r. I, 31, 3; l. l. VIII, 9; IX, 37; S. M. pag. 129, 20.

§ 49. In compositis verbis formae „ex, e, ec" hoc modo adhibitae sunt:

„Ex" ponitur ante *c, p, t.* — Ante *s* ratio sic se habet; legitur: *exsto* l. l. V, 3 (contra „exto" VI, 78; r. r. II, 7, 5; III, 7, 11; 8; 9, 4; 16, 27; S. M. p. 122, 2). — *exsolvo* l. l. V, 176. — *exscribo* r. r. II, 5, 18. — *exsugere*: r. r. I, 40, 2; II, 4, 15 (contra *exugo* I, 13, 4; *exuctor* II, 7, 11). — *exsanguis* S. M. p. 201, 3. — „S" littera omissa scriptum est: *expecto*: r. r. I, 2, 2; II, 1, 2; 4, 7; 23, 1; 26; III, 2, 16; 16, 11; l. l. V, 61; X, 40. Sic legendum est etiam r. r. I, 56 „expecto" (sic *AB*; „ex*s*pecto" *P*). — *exculpo* r. r. III, 9, 7; 9, 9. — *existo*: r. r. I, 34, 1; II, 7, 7; III, 16, 18. — *expuo*: r. r. III, 3, 9; S. M. p. 195, 2. — *exul* S. M. p. 178, 5. — *exilio* r. r. II, 4, 14. — *extinguo* S. M. p. 248, 3. *inextinguibilis* ibid. p. 153, 2. — *exequiatus* S. M. p. 168, 11.

„E" legitur ante *g* („exg" invenitur r. r. III, 14, 3: „exgrumino"; l. l. V, 60: „exgenuerunt"[1]); ante *r* („exr" r. r. I, 27, 2: „exradicatus"); ante *l* („exlex" S. M. p. 220, 9); ante *d, m, n, v, j.*

Ante *f* „ex" scriptum est l. l. V, 29: „*ex*fluo" (cf. Neue l. l. II, 769); „ec" per coniecturam Merceri ap. Non. 48, 13: „ecfugio" (codd. HLW „etfugio"; cf. Neue l. l. II, 768); plerumque assimilatio litterarum facta est *eff.*

[1]) cod. Flor., Spengelius; „ex se genuerunt" Laetus.

VITA.

Natus sum Otto Roessner die II. m. Aug. a. 1863 in urbe Halis Saxonum, patre Eduardo praematura morte mihi erepto, matre Augusta e gente Wachsmuth, quam adhuc superstitem esse vehementer gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Et primis litterarum elementis et humanitatis studiis imbutus sum in Franckeianis institutis praeclarissimis, in quibus ego orphanus per decem annos versatus sum. — Et beneficiorum, quae in orphanotropheo accepi, summorum memor hoc quidem loco manibus Augusti Hermanni Franckii grates, quam maximas possum, ago. — Unde vere anni 1884 instructus maturitatis testimonio universitatem Halensem adii, cuius civis fui per septem semestria. Per haec audivi viros doctissimos: Burdach, Collitz, Dittenberger, Erdmann, Gering, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kirchhoff, Stumpf, Zacher. Seminarii philologici per quattuor semestria sodalis fui ordinarius, cum iam antea per duo semestria proseminarii exercitationibus interfuissem; in societates suas ut mihi aditus esset, benevole permiserunt Gering, Hiller, Keil. Quibus viris omnibus, imprimis viris illustrissimis Eduardo Hillero et Henrico Keilio, qui in omnibus meis studiis beniguissime me adiuverunt, gratiam semper habebo maximam.